TRIGA DISSERTATIONVM
DE
GLADIO MAGICO GVSTAVI ADOLPHI SVECORVM REGIS

PRAESIDE

GEORGIO WALLIN, FIL.

S. THEOL. D. ET REG. ACAD. VPSAL. BIBLIOTHECARIO


A. MDCCXXVIII. ET MDCCXXIX

IN ACADEMIA VPSALIENSI

HABITARVM

NVNC IVNCTIM EDITARVM

CVM FIGVRIS.







LIPSIAE A. cIↄ Iↄ CCXXXXVI.

SVMTIBVS GODOFREDI AVGVSTI STOPFFELII

TYPOGRAPHI LIPSIENSIS.



PRAEFATIO
HVIC NOVAE EDITIONI ADIECTA.



Postquam sollers Typographus, *Godofredus Augustus Stopffelius*, officina typographica beati *Trogii*, in qua post *Brandenburgerum* & *Schedium* commercium dissertationum Academicarum quoque exercuerat, ab aliquo tempore sibi comparata, laudabile consilium cepit, hoc commercium sedulo continuandi, praestantioresque disputationes nonnullas, in exteris praecipue Academiis evulgatas, suis typis denuo exscribendi, meamque opem, in quibusdam secum ex mea Bibliotheca communicandis, humanissime sibi expetiit: ego quidem hoc utilissimum institutum non potui non statim approbare, propterea quod in litterata hac civitate commercium libellorum Academicorum, non minus, quam aliorum librorum, florere debet, utrumque ab omni-

 bus

bus pro virili parte promovendum. Ea quippe eſt multarum quoque diſſertationum Academicarum, cum primis in Academiis Evangelicis editarum, praeſtantia, ut non minore utilitate, quam libri ipſi, ſe iure quodam commendare, reique litterariae incrementa haud parum provehere videantur, in commentariis eius plane non negligendae. Quum vero pauca ſubinde illarum exempla in quibusdam Academiis, exteris praecipue, imprimantur, & paucisſima inde in noſtras apportentur oras: admodum conſultum, reique litterariae accommodatum eſſe iudico, ſi praeſtantiores & rariores, vel in faſciculos digeſtae, vel ſeparatim excuſae, parabiliores reddantur, ne harum rerum amatores iis, ceu ignotis aut occultis theſauris, carere debeant. Curandum tamen ſemper eſt, ut delectus harum diſſertationum ſollicite inſtituatur, eaeque diligenter & accurate excudantur, ne lectores carbonem, ut aiunt, pro theſauro inveniant, aut ex operarum erroribus, quibus interdum inquinantur,

mo-

moleſtiam percipiant. Haec diligenter in poſterum obſervabit Typographus *Stopffelius*, & iam aliqua ex parte obſervavit in hac Triga. Poſtquam enim Celeberrimi WALLINI tres diſſertationes *de gladio magico Guſtavi Adolphi*, Svecorum regis invictiſſimi, in Academia Vpſalienſi anno huius ſaeculi viceſimo octavo & nono publice defenſas, cum illo communicavi, ea lege, ut quam emendatiſſimae in manus virorum eruditorum denuo venirent: is non tantummodo easdem viro erudito accurate corrigendas dedit, ſed etiam tabulam ligneam, gladium Guſtavi Adolphi exhibentem, ad exemplum gladii, in Ampliſſimi Senatus *Lipſienſis* Bibliotheca cuſtoditi, curavit examinandam. Neque ego reprehendendus ero, quod has in primis diſſertationes, & nomine Celeberrimi earum auctoris, & argumento illuſtri, & ſingulari, qua conſcriptae ſunt diligentia, commendabiles, ei denuo excudendas tradidi. Nemo quippe rerum in orbe litterario geſtarum, adeo rudis eſt, qui ignoret, GEORGIVM WALLINVM,

harum diſſertationum auctorem, ornamentis Sveciae noſtrae aetatis iure ſummo annumerandum, ex Academia *Vpſalienſi*, in qua Bibliothecarii & Profeſſoris Theologiae munere fuerat perfunctus, ad Epiſcopatum *Gothlandiae* evocatum, de re litteraria, & ſacra excellenter promeritum eſſe, [a] & adhuc promereri, utinam quam diutiſſime! Neque nobis ingrata eſſe debet memoria GVSTAVI ADOLPHI, incomparabilis Svecorum regis, Eccleſiae Evangelicae defenſoris ſummi, cuius herois maximi vera atque immortalis laus ac gloria hac occaſione inſtauratur, & ab hoſtibus eius ſtrenue vindicatur. Porro unusquisque harum rerum iudex, partium ſtudio haud abreptus, has Reverendiſſimi WALLINI diſſertationes perlecturus, facile in Celeberrimi KEYSLERI ſententiam concedet, *beneque illas elaboratas* eſſe, [b] pronuntiabit. Quanquam

quam

a) Vide eius vitam & ſcripta in Cel. GOETTENII Europa litterata Tomi III. P. I. a p. 156-162.

b) Vide IO. GEORGII KEYSLERI Itinerarium P. II. p. 1109. ubi haec habet: *Von dem magiſchen Schwerdte, welches hier (auf der Raths-Bibliothec in Leipzig) aufgehoben wird, und ehedem fälſchlich vor des groſſen* Guſtavi Adolphi *Degen, deſſen er ſich in ſeinen Kriegen bedient haben ſollte, ausgegeben worden, hat* Georg Wallin, *D. Theol. und Bibliothecarius zu Vpſal* 1728.

quam enim excurſiones nonnullae, a Celeberrimo WALLINO ſubinde inſtitutae, ex ſententia quorundam, abeſſe ex iis potuiſſent: ego tamen hic cum magno LEIBNITIO, de eiusmodi excurſionibus iudicante, prorſus conſentiendum eſſe arbitror, in votis habens, ut multas eiusmodi digreſſiones haberemus. Reprehenderat nempe olim GVILIELMVS FRIDERICVS BIERLINGIVS in *Lineamentis Methodi Studiorum* c) *Iohannem Seldenum* & *Claudium Salmaſium*, quod in operibus ſuis digreſſiones ubique captarent, a ſcopo alienas. Quod iudicium & alia dum *Leibnitius* in epiſtola, ad *Bierlingium* perſcripta, expendit, his utitur verbis: *Plerumque, quae laudas, laude digna cenſeo, interdum tamen haereo, cum aliqua reprehendis, veluti digreſſiones in Seldeno & Salmaſio, quales utinam multas haberemus!* d) Tandem vero ingenue fateor, laudes Celeberrimi WALLINI, quibus *Lipſiam*

und 1729. *drey wohl ausgearbeitete Diſputationes herausgegeben. Dergleichen Schwerdter zeiget man unter ſolchen falſchen Tituln auch an mehrern Orten.*

c) Prodierunt illa Rintelii A. MDCCXI. in 8.

d) p. 33. Tom. IV. Epiſtol. Leibnitii, quem Maxime Rever. Doctori, *Chriſtiano Kortholto*, debemus.

psiam nostram, quam *florem orbis*, *Misniae decus* [e] &c. vocat, & huius civitatis Patres Amplissimos civesque, & Bibliothecam *Paulinam* [f], & *Senatoriam* [g] extollit, a me grata agnosci mente, a pluribus nostratibus, huius novae editionis lectoribus, eadem pietate agnoscendas. In primis autem laudatissimo harum dissertationum auctori confirmo, exemplum earum eidem, in quo gladius, huius libri ansa, adservatur, armario propediem illatum iri, instar hastae Achillis futuro, ut idem, quod vulnus inflixerat, vulneris quoque auxilium ferat. Tu vero, *Lector Benevole*, hanc Trigam dissertationum WALLINIANARVM, serena fronte accipe, conatibus Typographi ita fave, ut benevolentia tua suffultus plures eiusmodi libellos Academicos ex sua typographia emittere possit. Scribebam Lipsiae A. cIↃIↃCCXXXXV. d. XXIII. Dec. quo pax, inter Potentissimos Poloniarum & Borussiae Reges nuperrime inita, Lipsiensi circulo, non sine summa omnium laetitia, fuit significata. Vale.

e) p. 72. *f*) p. 25. *g*) p. 24. & 25.

DISSER-

DISSERTATIO PRIMA

DE

GLADIO MAGICO
GVSTAVI ADOLPHI

SVECORVM REGIS

QVAM

PRAESIDE

GEORGIO WALLIN, Fil.

S. THEOL. D. ET REG. ACAD. VPSAL. BIBLIOTHECARIO,

IN

AVDITORIO GVSTAVIANO MAIORI

D. VII. DECEMB. A. MDCCXXVIII

PVBLICO EXAMINI SVBIECIT

DANIEL SALIN, Ion. Fil.

IEMTIVS.



Num. XXIII, 23.

Non est incantatio in Iacob, neque divinatio in Israël.

SERENISSIMO

PRINCIPI AC DOMINO

DOMINO

GEORGIO

LANDGRAVIO HASSIARVM,

PRINCIPI HERSFELDIAE,

COMITI CATIMELIBOCI, DECIAE,

ZIEGENHAINAE, NIDDAE ET

SCHAVMBVRGI;


NEC NON

PEDESTRIVM COPIARVM S. R. M. BORVSSIAE

LOCVM TENENTI GENERALIS,

PRINCIPI GRATIOSISSIMO.

SERENISSIME PRINCEPS.



De tanti HOSPITIS feliciſſimo in oras Septentrionalium adventu dum Sueciae Regnum, regnique Metropolis, & in ea, ipſa Auguſtiſſima REGIA, tripudianti ſimilis, ex animo ſibi gratulantur; ſi compresſis manibus, nulloque edito laetitiae ſigno,

ſigno, tacita acquieſceret haecce Vicinia: vereor, ne poſſent ſtuporis alicuius incuſari Muſae noſtrae. Mihi certe, qui foris HASSO-CASSELLANAE erga Suecos ſummae benignitatis ac gratiae ipſemet teſtis fui, qui etiam domi Auguſtiſſimi REGIS, Clementiſſimaeque REGINAE incredibile gaudium ex SVORVM tam percara praeſentia perceptum, ſaepiſſime venerabundus conſpexi, vel ingrato, vel immemori officiorum aulicorum, nunc licet extra Aulam agenti, eſſe non licet. Suſcipe igitur, SERENISSIME PRINCEPS, has de Rege GVSTAVO ADOLPHO, Eiusque *Gladio*, Diſſertationes, TVO Sereniſſimo Nomini conſecratas, ceu devotiſſimi animi pignus, & inter publicas Camenarum Vpſalienſium congratulationes, debitae pietatis documentum. Fuit & eſt ſine dubio, HEROIS ac Boni Ducis

cis

cis officium, *lustrare arma*, eaque, quae spuria sint, a genuinis discernere: est PRINCIPIS, de rebus gestis maximorum Regum ferre iudicia: est HASSO-CASSELLANI denique Sanguinis, Suecorum Gothorumque virtutem ac gloriam defendere, GVSTAVI potissimum MAGNI; cui Maiores TVI Serenissimi & amicitiae & necessitudinis foedere coniunctissimi erant, atque in *Bello Germanico*, superioris Seculi, indivulsi armorum victoriarumque Socii. Hoc ipsum TIBI, SERENISSIME PRINCEPS, certissime, quod scimus, facturo, iure nunc meritoque adsurgimus; TVIS veluti sub auspiciis, contra Morinos, cunctaque invidorum agmina fortiter pugnaturi. *Ad arma* igitur, Commilitones, *ad arma* concurrite, non quidem Mavortis illa horrida, sed quibus Apollo delectatur, ad iubila maxime, plausus, festas


ſtas acclamationes, vota & ſuſpiria. Vivat GEORGIVS, Princeps Haſſorum Sereniſſimus, Gothorum iam Hoſpes longe gratiſſimus. Vivat, vigeat, floreat, una cum tota Auguſtiſſima Sereniſſimaque Domo, tot Regum Principumque Nepos, tot virtutum, palmarum, tropaeorumque Haeres, CAROLI Filius, FRIDERICI I. Frater, VLRICAE ELEONORAE (Quanta nomina!) Affinis, Germaniae Spes ſumma, & Suecani orbis Deliciae. Ita vovent

SERENISSIME PRINCEPS,

NOMINIS TVI SERENISSIMI

devotiſſimi cultores ac clientes

PRAESES
ET
RESPONDENTES.



PRAEFATIO

ARMA VIRVMQVE.




Non enim iam *Trithemios*, non exteros, & qui Romana adorant oracula, non Abbatias aut monachorum cellulas, nec libros codicesve ſuſpectos animus curabit noſter: ſed ad domeſtica immortaliaque Heroum noſtrorum facinora, ad Patriorum Sacrorum propugnacula, ad Martios campos, & ipſa bellorum theatra converſus, Regum ibi Ducumque enſes & arma perluſtrare geſtit. En! Siſtitur heic oculis Tuis, *LECTOR Venerande & Benevole*, GLADIVS, ſi aetatem reſpicis, prope centenarius; ſi formam & ſtructuram, minime vulgaris, immo rariſſimus, ſtupendus omnino, &, ſi quis unquam fuit aut meruit, inter impietatis ſuſpecta inſtrumenta belli referendus,

quem paucis abhinc annis inventum in Germania, ac descriptum nobiscum in Patriam deportavimus. VIRVM si quaeris, dominum olim eius ac possessorem; dantur, qui nominare sustineant Principem omni memoria maximum atque gloriosissimum, Suecorum, Gothorum, Vandalorumque, morte non minus quam vita, invictissimum quondam Regem *GVSTAVVM ADOLPHVM MAGNVM.* Dic mihi mortalitas,

Similem quae protulit aetas
Consilio vel Marte VIRVM?

Verum enim vero, ut ut Huius tam incluto nomine superbiat ferrum istud: adulterinum tamen esse, nefarium & exsecrabile, contra improbos eiusdem operis artifices, spurcissimaeque fabulae fautores omnes, palam & sine ulla haesitatione non modo pronuntiamus, proclamamus; sed argumentis etiam probare parati sumus, & probata defendere. *Capita* huius opusculi *tria* erunt. *Primum* aget de priscorum Septentrionalium perversis militandi artibus, earumque cum origine tum ultimis fatis, contra osores Gentis Sueo-Gothicae. *Secundum* de ipso Gladio GVSTAVI ADOLPHI, ut vocatur, magico, eiusque historia, indole & iniustissimo titulo. *Tertium* denique de vaferrimae huius imposturae caussis & architectis. Cum vero adversus *Morinum* maxime in praesenti dissertatione dirigatur oratio; noli, quaeso, mirari, *LECTOR Benignissime*, nos digressionibus subinde largius indulsisse; adversariorum enim impudentiae aliter obviam iri vix potuit, neque cum suis circumstantiis plene exsplendescere veritas, aut rite a nobis obtineri scopus, quo omnia heic unice tendunt atque collineant, DEI, REGIS, PATRIAEque gloria. Vale.

CAPVT



I. N. I.

CAPVT PRIMVM.

§. I.



Maiores quidem noſtri, illi generoſi Septentrionis incolae, orbisque terrarum victores olim ac domini, quibus, natura veluti ſtimulante *a)*, in deliciis fuit

Horrida Mavortis tractare ferociter arma,
Hoſtilique ſuam temerare in ſanguine dextram,
Et ſibi pugnando immortale acquirere nomen,

ſemper aperto magis bello, quam dolo pugnare, virtuti ſuae convenientius exiſtimabant, ut ex IOH. MAGNI *b)*, pluriumque teſtimoniis patet: verum, ſicubi vis armata locum non habuit, ſuadente iubenteque neceſſitate, hoſtem ingenio ac artibus,

a) *Omnis in Arctois populus quicunque pruinis*
Naſcitur, indomitus bellis, & Martis amator,
inquit LVCANVS, *Civil. Belli* lib. VIII. v. 363. & VIRGILIVS, Lib. III. *Aeneid.* ab initio:
Gravidumque patrem (Martem),
Geticis qui praeſidet arvis.
Et hinc, ut videtur, patria noſtra olim dicta eſt *Manheim*, h. e. Virorum ſeu praeſtantiſſimorum militum ſedes & officina. Certe a *Man* ſeu *Viro* nomen habet, vid. magnus noſter RVDBECKIVS, *Atlant.* Tom. I. cap. XIII. §. I. pag. 458.

b) *Hiſt. Gothorum* lib. XXIII. cap. 12.

tibus, quas antiquo nomine vocarunt *Herdibrogd c)*, vel *Viel-findni d)*, ſuperare connitebantur. Neque eo nomine magis, quam ceterae gentes, culpandi Noſtrates veniunt; cum per belli iura, & leges talionis liceat, eos, qui vitae noſtrae ac fortunis inſidias ſtruunt, retortis in illos dolis, internecioni dare *e)*. Per dolos enim, & artes nil turpe, nihil impium hoc loco intelligi, cuivis, ut ſpero, in aprico erit. At infames & magicae artes, quae priſcis Gothis dicebantur *Seidr f)* atque *Galldar g)*, quoniam plenae impietatis ac ſceleris, procul ab omni *militia* proſcribendae ſunt; niſi in *malitiam*, eamque maxime abominandam, degenerare velit.

§. II.

Dolendum itaque magnopere eſt, improbam illam & perverſam militandi rationem etiam in Septentrione noſtro, antiquis temporibus, invaluiſſe; minus tamen, ut arbitror, mirandum, ſi gentiliſmum, ſub quo vivere illis contigit, cogitamus, hoc

c) Ex *Olavi Hiſt.* RVDBECK. T. c. Cap. 3. p. 750.

d) *Vel fylgir leviſum manni*, h. e. Prudentis eſt, aſtu vel arte uti, &c. vid. OL. VERELIVS in *Notis ad Hiſt. Göthr. & Rolfi* pag. 93. LOCCENIVS, *Antiqu.* pag. 192. &, qui de belligerandi modis Septentrionalium fuſe ſcripſit, OLAVS MAGNVS, Libb. VII-XI.

e) In iuſto bello, *utrum aperta pugna, utrum inſidiis vincat, nihil ad iuſtitiam intereſt.* Verba ſunt D. AVGVSTINI lib. VI. *quaeſt. X. ſuper Ioſuam*, Tom. IV. Opp. pag. 124. edit. Paris. Cui adde VEGETIVM, lib. III. cap. 9. & SAAVEDRA *Symb. Polit. LXXIX.* Temere itaque Alexander M. dixit, noctu adgredi hoſtes, *latrunculorum & furum* eſſe, apud CVRTIVM lib. IV. cap. 13. Cum tamen ipſe *gentium omnium latro* audiat Scythis, ibid. lib. VII. cap. 8. Lucano & Senecae.

f) vid. SNORRO, *Hiſt. Regum Septent.* Tom. I. Part. I. capp. 4. & 7. SCHEFFERI *Vpſalia Antiq.* pag. 132. cap. 10.

g) *Hiſt. Herraudi & Boſæ*, cap. 3. ab initio. *Galldur* a *Gall*, inſanus, quia artes ſunt maxime *inſanae.* vid. VEREL. notas ad loc. cit. p. 81. ſed in notis ad *Hervarar Saga* illud a *Gall* i. e. ſonora voce derivat p. 97. Conf. etiam REENHIELM ad *Hiſt. Thorſtani* cap. 1. pag. 18. ſeqv. & pag. 36. ſeq. ubi ſynonyma alia, item apud STEPHAN. ad Sax. p. 138. b.

hoc est, aetatem plus quam ferream, quae, repudiato vero Dei cultu, daemonum imperio veluti mancipata fuit. Si quid autem mirari convenit, id IO. BAPT. MORINI commentum erit, qui, dum diversarum nationum mores ex suis genuinis caussis physicis & astrologicis deducere conatur, de aquilonarium regionum populis, tanquam *notatu dignum* adserere non dubitat: *eos prae ceteris terrae incolis Lunaticos non tantum, sed prae ceteris etiam magia, praestigiis daemonum, & incantationibus infames esse, ac periculosos*, ob hanc nimirum caussam, quod Luna potentior est in frigidis partibus Septentrionis *a)*. Quod si in reliquis non magis, quam hac in parte, veritatem assecutus est hic Astrologiae novae, ut salutari cupit *b)*, inventor ac faber, merito affirmare ausim, frustra eum XXX annos operi suo conscribendo tribuisse *c)*, frustra etiam Poloniae Reginam LVDOVICAM MARIAM bis mille imperiales illi excudendo impendisse *d)*. Quippe, ut nihil de *Lunaticis* dicam, quorum vix nomen, multo minus morbus in Septentrione innotuit, probari velim a *Morino*, nos, hodierna aetate, *magia & praestigiis daemonum infames esse;* hoc enim non probato, corruit fundamentum: aut probet vires & potentiam Lunae hodie, mutata forsan sede, defecisse. Damus, ut modo diximus, priscis temporibus, inter alias Paganismi tenebras, magiae studium in Aquilone floruisse *e)*; sed num prius, num magis, quam in reliquis orbis partibus? quasi vero non olim, & etiamnum, vel apud remotissimos terrae quaquaversum incolas, maxime infames praestigiae, incantamenta, superstitiones omnis generis, cum summa idololatria, regnaverint aut regnent; licet ibi Venus vel alii Planetae, *Morino* iudice, dominentur. Haec de *Astrologo Gallo*, ut virum, cuius in poste-

a) vid. eius *Astrologia Gallica* impressa Hagae Com. An. 1661. in fol. libr. XX. cap. 4. p. 449. b.

b) in *Praefat. Apologetica* pagg. 5. & 16. & in ipso opere passim.

c) conf. eius *Epistola dedicat.* ad Dn. Iesum Christum.

d) ibid. in *dedicatione* TRONSONII, Reginae facta, & GVY PATIN, *Lett.* 233.

e) conf. ERICVS Olai Vpsal. lib. I. *Hist. Succor. & Gothor.* p. m. 7. & OLAI MAGNI *Hist. de Gentib. Septentr.* per totum librum III.

rum ſaepius facienda nobis eſt mentio, mox in limine cognoſcamus.

§. III.

Valeat igitur Luna, valeat eius in animos, mores, actionesve noſtras dominium, quod nullum agnoſcimus; nam *ſapiens dominabitur aſtris.* Vera magiae Borealis incunabula non in noſtro coelo ſoloque quaerenda, ſed aliunde reperenda eſſe exiſtimamus, & rationes adſunt, cur ita exiſtimemus. Gothos & Suionas neque Poſtadamitas, vel nova poſt Adamum creatione productos, neque Αυτόχθονας fuiſſe, aut humo ſponte, fungorum inſtar, prognatos, eo minus ſuſpicari aliquis poterit; quo, praeeunte S. Codice, ſuffragantibusque recta ratione & viris eruditiſſimis, certius conſtat, eos ex Oriente pedetentim ac lente profectos, tandem ſub Arcto ſuas occupaſſe ſedes. Hinc, ni fallor, ſequitur, ſi quid vitii contraxerunt, id minime aſtrorum inauſpicatorum influxui, nec peregrini ſoli genio deberi: quin potius ſive parentum minus religioſorum, ſive vicinorum pravis moribus, quos nimia familiaritate induere quaſi, indutos autem, quocunque fata ferunt, ſecum deportare, ac propagare in poſteros minus cauti ſolent. Sed eſto, quod etiam nos ſperare iubet pietas *a*), Iaphetidas non niſi veram Dei venerationem in boreales terras primum tranſtuliſſe; eſto eos eandem, ſine ullo ſuperſtitionis fermento, diu ſartam tectam conſervaſſe: quis in hiſtoriis ita hoſpes eſt, qui neſciat Aſiaticos recentiores in plagas arcticas poſtmodum migraſſe, & omnia ſua idololatria, malisque artibus corrupiſſe? Inter hos familiam duxiſſe fertur, paulo ante Chriſti tempora, *Othinus*, priſcis nuncupatus *As*, h. e. Aſia oriundus *b*); qui, licet

a) conf. IOH. MAGNI *Hiſt. Goth.* lib. I. capp. 4-8. L. PAVLINI Gothi *Hiſt. Arctoa* lib. I. cap. 14. & 38. PETRI BÅNG *Hiſt. Eccl. Goth.* lib. II. capp. 4. 5. 6. cui tamen per omnia adſtipulari aegre poſſumus.

b) *Han kom vtan af Aſia*, Hiſt. Herraudi pag. 1. & not. pagg. 70. & 107. conf. EDDA a Reſenio edita cap. 3. SNORRO, *Heims Kringla.* Tom. I. Part. I. cap. 5. & ſequ. ARNGRIM IONAS *Crymogaea*, lib. I. cap. 4. & 6. p. 30. 61. WORMIVS, *Mon. Dan.* lib. I. p. 11. TORFAEVS, in *Serie Regg. Dan.* pagg. 133. 134.

licet Scaldorum mirifice celebratus encomiis, licet divinis mactatus honoribus, & religiose cultus: magus tamen erat omnium, quos sol unquam vidit, maximus, scelestissimusque. Et hunc nobis liceat primum, vel saltim praecipuum, omnis superstitionis septentrionalis parentem vocare, quique filios ac posteros omnes, donec, Divina gratia, Evangelii lux tenebras dissipare coeperit, sinistrae suae artis contagione pollutos reddidit.

§. IV.

De artibus igitur belligerandi illicitis nonnulla dicturi, a minori vel leviori ad graviora progredimur. Si OLAO MAGNO *a*) credendum, interdum Septentrionalibus in usu fuit, *sagittas veneno tingere*, ut plaga eo saevior, certiorque esset inimicorum mors & pernicies. Conferantur, quae de *Scythis* refert ARISTOTELES *b)*, & OVIDIVS de *Getis c)*, nec non quod de *gladio Angantyri* canitur in Hervarar Saga *d)*. Hoc si verum, soli certe non laborabant isto vitio veteres Hyperborei;

137. LOCCENIVS, *Antiq. Sv. Goth.* cap. 3. SCHEFFERVS, *Upsal. Antiq.* cap. 7. p. 73. 78. Hinc inter alia Othini nomina appellativa, etiam fuit, propter magiam, *Galldur*, ut omnes Asiani vocabantur *Galldra-Smider* vel *mestarar*, h. e. magistri incantationum. STVRLONIDES pag. 8. l. c. cap. 7. Adde REENHIELM, *Not. ad Thorstani Hist.* pag. 19. 37. 43. 120. VEREL. ad *Hist. Göthr.* pag. 35. & ad cap. 1. & 2. *Hervarar Saga*, praesertim pag. 24. col. 2. *Addi & illud poterit: admirationi & honori tunc fuisse artem illam (magicam), ab Odino & Asis eo tempore* NB. *primum huc illatam.* STEPHANIVM ad *Saxonem* pag. 136. 138. ubi idem adseritur, *magiae* scilicet *usum in Suecia, ante Othini tempora & adventum, plane nullum exstitisse.*

a) De *Gentibus Septent.* lib. VII. cap. 2. ubi tamen attendenda sunt eius verba: *Nec facile venenatis utuntur sagittis, nisi ubi exploratum habuerint hostilem ferociam & crudelitatem, quod nemini sit parsura.*

b) Περὶ θαυμασίων Ἀκουσμάτων, pag. m. 736. Tom. II. Op. Adde PLINIVM lib. XI. cap. 53.

c) lib. I. *ex Ponto*, Ep. I. lib. 4. Ep. 7. & 10. lib. III. *Tristium*, Eleg. X. &c.

d) Capp. 5. & 7. pag. 70. *Angantyrs wärja med sin hwassa udd, bärdad i etter*, & pag. 95.

borei; quia idem *Parthis* tribuitur a LVCANO *e)*, *Afris* a SILIO *f)*, *Aethiopibus* a CLAVDIANO *g)*, *Dacis* & *Dalmatis* a GALENO *h)*, *Soanibus* & *Oritis* a STRABONE *i)*, aliisque *Indiae* populis a DIOD. SICVLO *k)*, *Hispanis* a THVANO *l)*; *Italis* a CONRINGIO *m)*, ut *Indiae Occidentalis* incolas taceam. PLINIO *Dorycnion* venenum illud appellatur *n)*, & *ἀνδρεσφόνον φάρμακον* HOMERO *o)*. Immo flumina, & rerum naturae elementa veneno aliquando corrupta fuisse, auctores tradunt *p)*. Sed hoc est humanitatem exuere, ac tigrides pardosque superare saevitia; hoc *contra fas Deûm* est, inquit FLORVS *q)*. Nec immerito, cum honestatis decorique leges, seu humanitatis officia vel tum observari fas sit, quum in mutuam caedem digladiantium armatae copiae quam infestissime ruunt. Non ignoramus dari eos, qui veneni in bello usum defendant *r)*; neque recentiora desunt eius rei exempla: sed illam

e) *Pharsal.* lib. 8. v. 304. 382. 388. idem *Arabibus* tribuit SENECA in *Medea* v. 710. & conf. IVL. POLLVX lib. 1. cap. 10. n. 6.

f) de *Bello Punico* lib. 15. p. m. 680.

g) in *Consulatu Stilich.* lib. 1. Carmine 21. v. 351.

h) de *Theriaca ad Pisonem* cap. 10. pag. 945. Tom. 13. oper. fol.

i) *Geograph.* lib. 11. pag. 763. & lib. 15. p. 1052. edit. Amstel.

k) *Biblioth.* lib. 17. pag. 573. CVRTIO, lib. 9. cap. 8. §. 20. & IVSTINO, lib. 12. cap. 10.

l) *Historiarum* lib. 48. tom. 2. p. 677.

m) *Florentinis* maxime, *Thes. Rpubl.* Part. 2. pag. 1036.

n) *Histor. Nat.* lib. 21. cap. 31. immo *Toxicum*, vid. FESTVS & PFEIFFER, *Antiq. Gr.* lib. 3. cap. 22.

o) Odyss. A. v. 261.

p) PLINIVS *Hist. Nat.* lib. 18. cap. 1. vid. m. LVCAN. lib. 4. v. 320. OVID. lib. 7. *Metam.* v. 535.

q) lib. 2. cap. 20. §. 7.

r) PHILO, laudatus *Is. Casaubono* in Comment. ad Aeneam Tacticum, cap. 7. p. m. 1727. Christ. Gottl. SCHWARTZIVS, *Specim. 2. Controv. Juris Nat. & Gent.* contra Alb. Gentilem, Io. And. Osiandrum, & Henr. Cocceium. conf. *Gelehrt. Fama* Tom. 1. p. 687. seq. de Globis veneno infectis, & aerem corrumpentibus, anno superioris seculi LXXII. in Bello Gallo-Belgico usitatis vid. Scriptores apud GE. PASCHIVM de *Novis Invent.* cap. 8. §. 58.

illam ipſam tuentibus ſententiam unum opponimus HVG. GROTIVM s). Huius *de Belli Pacisque iure* librum cum tanti aeſtimaret Rex GVSTAVVS ADOLPHVS, quanti olim Alexander M. ſuum Homerum t); non miramur, eum ab eiusmodi deſperatis conſiliis abhorruiſſe. Quippe, *ſi quos ſuorum* VENENO *hoſtes attentare deprehendit, hos vel gladio percuti, vel laqueo ſuffocari, vel praepilatis militum haſtis obiici ſevere mandavit u).* Inſigne aequitatis exemplum! unde in anteceſſum iudicare cunctis proclive erit: ullone iure magiae, infandi ſceleris, inſimulari tantus Heros poſſit; qui ne impuris quidem medicaminibus ſacroſancta ſua arma violari paſſus eſt.

§. V.

Magiam vero, & improba priſcorum in bello artificia perluſtrantibus occurrit nobis I. *ars ſeſe reddendi inviſibiles.* Exemplum habetur in hiſtoria Herraudi & Boſae cap. X. *Smidr baſdi bulin bialm yfer Skipina. þeir Herraudur oc Boſe haufdu oc hulin bialm;* ad quem locum interpres Cl. OL. VERELIVS a): *Hulin bialm tegumentum eſt artibus magicis rei cuipiam inductum, ut ea ſit inviſibilis, aut alia appareat, quam revera eſt.* In Vlts Vggaſonar Sogu mentio fit *caſſidis*, quam qui geſtabat, a nemine videri potuit, teſte REENHIELM b). De amiculo *Dularkaſle* videatur STEPHANIVS c). Verum ne credas, L. B. apud ſolos Aquilonares vel antiquos hanc ſtetiſſe inſaniam; confer enim quae de *Plutonis* aut *Orci galea* ſcribuntur d), & de famoſo *Gygis* Lydorum Regis *annulo* e). Cabbaliſtarum

s) *de Iure B. & P.* lib. 3. cap. 4. §. 15. 16. cum *Commentario* Guil. van der MVELEN.

t) vid. OLDENBVRG. Addit. ad *Conringii Theſ. Rerumpubl.* part. 1. pag. 62.

u) Arv. And. APPELBOMII *Oratio de Stratagematibus*, habita Vpſal. 1639.

a) in *Notis* pag. 84.

b) ad *Hiſt. Thorſtani*, pag. 107.

c) in SAXONEM GRAM. p. 48. f.

d) conf. LIL. GR. GYRALDVS de *Diis Gentium* Synt. 6. p. 169. & ERASMI Adagia p. 98. ſeq.

e) PLATO de *Republ.* lib. 2. p. m. 592. & lib. X. p. 760. LVCIANVS in *Bis accuſato*, Tom. II. Op. p. 229. Niſi fabula potius ſit, ſuſpectam enim hiſtoriam reddit Iu-

ſtarum impietas ex *Claviculo Salomonis f)* elucet. Si recentioris aevi exemplum placet, referunt ERASM. FRANCISCI, & HAPPELIVS *g*), inter Caeſareos, qui ſeculo XVII. pugnarunt in Germania, magiſtrum quendam militum, *Levinum Sander*, eandem exercuiſſe artem, tandemque digna nece interiiſſe. An vero, & quomodo quis reddi queat inviſibilis, erudite diſſerit GISB. VOETIVS *h*).

§. VI.

Sequitur II. *ars transfundendi ſeſe in diverſas animalium formas*: cujus inſigne documentum praeſtitit *Harekerus*, Rex Biarmiae, (ita olim vocatam eſſe *Lapponiam*, putant ex Antiquariis noſtris non pauci *a*). Is enim in modo citata hiſtoria *b*) dicitur, inter praeliandum, mira metamorphoſi, iam migraſſe in draconem, iam in verrem, iam iterum in virum rediiſſe, donec evanuerit. Paria de *Kol Kroppinbak*, & *Dys bambleypa* ſcribuntur in Hiſtoria Thorſtani *c*); ut alia iam exempla lubens omittam. *Finvika* & *Skipa litum* hanc artem vocarunt veteres, h. e. colores, vel vultus ac formas mutare *d*). Sed num domi nata? Minime. Ex Oriente huc commigravit cum *Othino*, quem in hiſce etiam praeſtigiis excelluiſſe, tradit STVRLESONIVS

ſtini & Herodoti ſilentium, qui tamen Gygis & Candaulis res geſtas referunt. Conf. CAEL. RHODIGINVS, *Lection. ant.* lib. 6. cap. 11. ubi etiam de *clypeo vitreo* Perſei.

f) Cap. 8. lib. 1. & inter *Pentacula* pag. m. 126.

g) Prior in dem *Hölliſchen Proteo*, cap. 24. pag. 215. Hic in *Relat. curioſ.* part. 5. n. 89. p. 707.

h) Parte 3. *Diſſert. de Magia*, pag. 583. & ſeq.

a) OL. VERELIVS in *Indice ad Hiſt. Herraudi* pag. 71. ſeq. ÖRNHIELM in *Deſcript. Svec. antiq. & novae*, lib. 1. cap. 2. ibique obſerv. LILIEBLADII; & quae de Biarmenſibus notat OL. MAGNVS, lib. 1. cap. 1.

b) *Herraudi & Boſae*, cap. 13.

c) cap. 3. & . *Hambleypa* vero dicebantur a *ham* & *hleypa* vel *löpa*, qui ex una forma deſultabant aut tranſcurrebant in aliam.

d) vid. STEPHANIVS in lib. 1. *Saxonis Grammatici*, pag. 43.

SONIVS *e*). Quid de *Proteo* dicam, de *Lycaone*, de *sociis* Diomedis ac Vlyssis, de *magis Thessalicis*, omnibusque iis, quae, carminibus suis praestitisse traduntur *Medea ferox*, *& callida Circe* *f*)? Haec ne quis mera figmenta, & Poëticos lusus dicat, *Simonem Magum* audiamus apud CLEMENTEM ROM. *g*): *Possum magica arte facere, ut volentibus me comprehendere, non appaream, & rursus volens videri, palam sim.* (haec ad thesin superiorem) & post pauca, *vultum meum commuto, ut non agnoscar: sed & duas facies habere me, possum hominibus ostendere:* NB. *Ovis aut capra efficiar*, &c. De *Diodoro*, quodam Catanensi mago, homines in bruta animalia convertente, videatur THOM. FAZELLVS *h*). Necesse tamen est, addamus omnem istam metamorphosin non veram fuisse; sed fictam, oculos delirorum hominum fascinante diabolo. Ratio haec est, quia transformare res specie & substantia diversas, vel mutare creaturas, nec hominum, nec daemonum; sed solius Dei opus est, & Creatoris, Matth. IV, 3. Ioh. II, 11. *i*).

e) *Hist. Regum Septent.* tom. I. part. I. capp. 6. 7. & SAXO lib. 1. p. 44.

f) CLAVDIANVS in *Rufinum* lib. 1. v. 154. conf. APVLEI. & OVIDII *Libros Metamorphoseων*, ac Poetas passim. De *Proteo* imprimis illo versipelli, qui in proverbium abiit, & quem, praeter Ovidium l. c. lib. 8. fab. 10. describunt VIRGILIVS, lib. 4. *Georg.* pag. m. 100. sq. HORATIVS, *Sermon.* lib. 2. Ecloga 3. v. 73. alii, notandum, esse eos, qui cum insignem magum & veneficum fuisse existimant, miraculaque sua patrasse diabolica arte, *μαγικαῖς δυνάμεσι*. Ita IOH. TZETZES *Chiliad.* 3. licet aliter sentiat DIODORVS SICVLVS *Rer. Antiq.* lib. 2. cap. 2.

g) *Recognitionum* lib. II. m. 28.

h) *Decad.* 1. *Rerum Sicul.* lib. 3. cap. 1. pag. 59. seq.

i) vid. AVGVSTIN. de *Civit. Dei*, lib. 18. cap. 17. & seq. GERHARDVS *Loc. Theol.* de morte, Aphor. 158. DANNHAVER *Theol. Consc.* Tom. II. p. 457. sq. WIERVS de *Praestigiis daemon.* lib. III. cap. 10. IV. c. 22. 23. VI. c. 12. & praecipue de *Lamiis* cap. 14. VOSSIVS de *Idololatria Gent.* lib. 3. cap. 41. totum, aliique, qui de *λυκανθρωπίᾳ*, ipsi PLINIO, *Hist. Nat.* lib. 8. cap. 22. fabulosa scripserunt. At qui de recentiori & morali hominum in *lupos* & *vulpes*

§. VII.

Solebant III. hostibus suis navigantibus, arte magica, *concitare tempestates*, vel, ut SAXO *a*) loquitur, *carminibus in nimbos solvere coelum.* Exempla passim in monumentis veterum occurrunt, ut Polyphemi istius *Grimneri b*), *Ogauti c*), *Oddonis* piratae, & *Haquini* Norvegiae Principis *d*). Verum & hoc praestare potuit *Asiaticus* ille impostor *Othinus e*); potuerunt infra Boream constituti, *Thessali f*), & *Gallicenae g*). Porro, si conferamus, quae de bellis inter *Assyrios* & *Bactrianos* scribit ARNOBIVS *h*), de *Hunnis* GREGORIVS TVRON. *i*), de *Romanis* VOPISCVS *k*), SPARTIANVS *l*), & quae PHOTIVS refert ex Olympiodoro *m*); videbimus gentes illas non tam ferro & viribus, quam magicis sacris, adversus irrumpentium hostium agmina interdum militasse. Videbimus, inquam, innocentiam Lunae, Gothosque, vel Aquilonares populos, nec primos nec solos fuisse olim profanarum ejusmodi artium studiosos.

§. VIII.

Sed maxime tamen commune antiquis Paganis erat IV. artificium *firmandi corpora adversus omnes telorum ictus & ferri iniurias.* Talis erant *Grimnerus* pirata, ejusque XII. Socii, de quibus in Historia Göthrici & Rolfi *a*) extat: *a han bita ey jarn, oc eingin þeira tolf er honum fylgia*, hoc est, *neque illum, neque*

transformatione, Papalibus usitata, legere cupit, adeat BAPT. MANTVANVM, *Eclog. 10.* & PHIL. MORNAEI *Myster. Iniq.* p. 628.

a) *Hist. Dan.* lib. I. pag. 17.

b) in *Hist. Göthrici & Rolfi* cap. 30. p. 176.

c) *Hist. Thorstani*, cap. 19. p. 96.

d) OLAVS MAGNVS, lib. 3. cap. 17. & 18. fol. 40.

e) SNORRO l. c. cap. 7. pag. 8.

f) conf. LVCANVS, lib. 6. v. 461. seq.

g) POMPON. MELA, lib. 3. cap. 6. VOSSIVS legit *Barrigenas*.

h) *Adversus gentes*, lib. I. pag. 5.

i) *Hist.* lib. 4. cap. 29.

k) in *Aureliano*, cap. 18. & 21.

l) in *Did. Iuliano*, cap. 7. & LAMPRIDIVS in *Heliogabalo*, cap. 9.

m) *Bibliotheca*, cod. 80. pag. m. 194. de *Libanio* venefico, qui admiranda se adversus barbaros patrare posse iactavit, χωρὶς ὁπλιτῶν, sine *armatis viris*.

a) cap. 26. pag. 150. & 156.

neque XII. *ejus comites ferrum violare potest.* Quanti heroes! at turpiter tamen perierunt, partim saxis, partim clavis vectibusque ligneis, monstrorum instar, obtriti *b*). Sic *Haldanus* Russiae Rex XII. pugiles in aula aluit, licet caruerint lorica, ferro tamen, si giganteam Rolfonis machaeram excipis, impenetrabiles *c*). Idem legitur de Rege Biarmiae *Harekr d*), de *Sigtrugo e*), *filiis*que *Koli f*) *&c.* Rationem, qua se a vulneribus immunes hi praestare potuerint, corporibus suis inferendo callum & duritiem *g*), an hostile ferrum hebetando *h*);

b) Clavis scilicet nulla magica vis resistere credebatur, deque earum usu in bello conf. RVDBECK. *Atlant.* Tom. III. pag. 650.

c) vid. Hist. cit. cap. 27. & 31. pagg. 136. 191. Vocabantur alias eiusmodi athletae, vetusto idiomate, *Berserkir*, a *ber* nudus, & *serk* lorica, quasi *non loricati.* De furore eorum (*Berserks gangr*) vid. ibid. pag. 163. *Hervarar Saga* cap. 3. ad utrumque locum VERELIVS. In *Hist. Dan.* SAXO, lib. 7. p. 123. REENHIELM ad *Hist. Thorstani* pag. 13. LOCCEN. *Antiqu.* lib. 3. cap. 2. p. 181.

d) *Hist. Herraudi* pag. 62.

e) SAXO lib. I. p. 8. & IOH. MAGNVS *Hist. Goth.* lib. II. cap. 5.

f) *Hist. Thorstani* cap. 3. & cap. 22. pag. 120. de Pirata *Otulfaxe.* Ericum V. Sv. Regem habuisse *Aquinum* ductorem exercitus, ferro inviolabilem, tradit ALB. KRANTZIVS, *Sueciae* lib. I. cap. 43.

g) vid. verba BRYN. SVENONII apud Stephanium p. 37. a.

h) Vocabatur hoc antiquis *deyffa eggiar*, & carminibus id praestitisse *Gunholmum* & *Hildigerum* tradit SAXO lib. IV. pag. 67. & VII. p. 136. *Haquinum* OL. MAGNVS, lib. 5. fol. m. 60. a. quod & solo adspectu fecisse *Visinum* idem refert lib. 3. fol. 39. b. De hodiernis militibus vid. SPRENGER. in *mallea*, p. II. q. I. c. 16. AVG. LERCHEIMER in *Theatro de veneficiis*, pag. 270. 290. Ego neque in hoc neque in illo constitisse artificium existimo, quomodo enim mollities corporum mutari potest in duritiem, vel acies ferri, nulla interveniente caussa, hebetari? Datur omnino tertium, & alius hoc mysterium explicandi modus. Potest enim, Deo permittente, daemon, ut tuti aliquantisper sint eius opem implorantes, facile retorquere emissa tela & gladiorum vim excipere. vid. Hiob 41, 18. & conf. SPER-

nostrum heic non est inquirere: sufficit, ope diaboli, & diris incantationibus hoc, quicquid est negotii, peractum esse, neque huc pertinet illud PAVLI, Ebr. XI, 34. Id potius quaerendum, an frigidis Septentrionis partibus, coelique inclementiae, ut MORINO placuit, natales & caussae tanti flagitii adscribi possint? Nego & pernego. Prodeat iterum ex Asia praestigiarum omnium & scelerum architectus, *Othinus*. Nonne ipsi hanc quoque artem & insaniam claris verbis tribuit STVRLAE filius *i*)? Nonne Achilles *k*), ob arma, a Vulcano accepta & Stygias aquas, factus dicitur *invulnerabilis*, præterquam in talo? Nonne de *Messapo* VIRGILIVS *l*):

- - *Messapus equûm domitor, Neptunia proles,*
Quem neque fas igni cuiquam, nec STERNERE FERRO.

Nonne apud *Aegyptios*, qui pelle Hyaenae induti erant, hostibus licet undique cincti, mansisse indemnes dicuntur *m*)? De *Zipangriis* fama est, eos contra hostium insultus certis lapidibus uti, eorumque præsidio tutos, omnem ferri violentiam fallere *n*). *Muhammedanos* referunt precationibus loricatis, vel ossibus

LING. *Phys. Instit.* lib. 2. cap. 4. qu. 5. & IOACH. SELLIVS, de *daemon. action. transeuntibus* cap. 3. §. 7. Sed obiicis: Cur ergo clavarum ictus avertere non item potuit daemon? Respondeo: forsan de ligno non paciscebantur cum eo magi.

i) Loco saepius cit. cap. 6. p. 7. ex versione IO. PERINGSKIOELDI: *Hostes suos caecos, surdos, & timidos reddere potuit, gladiosque eorum virgis nihilo acutiores. -- Viros ad pedes prosternebant, nec igne, chalybe aut ferro domari poterant.* De *Baldero* Othini filio vid. SAXO, lib. 3. p. 39. & Notas Stephanii pag. 88. a.

k) vid. SERVIVS ad. lib. 6. v. 57. Aeneid. BAYLE, *Diction.* Tom. I. p. 53. 58. NAVDAEVS, *Stud. mil.* pag. 373. sed vix id ex *Homero* probabitur, potius ex QV. CALABRI *Paralipom.* lib. III. v. 62. & confer. DICTYS Cretensis lib. IV. p. m. 194. & DARES Phrygius, de *Excid. Troiae*, pag. m. 220. De Aiace vid. SVIDAS, in Ἀσφαδάςῳ.

l) *Aeneid.* lib. 7. pag. m. 297. Simile quid de *Bitia*, idem lib. 9. pag. 351.

m) HORVS APOLLO, *Hierogl.* in viro intrepido pag. m. 82.

n) Marc. Paul. VENETVS, de *Regionibus Orient.* lib. III. cap. 3. conf. de annulo simile quid apud

ossibus Scanderbegi ad hoc uti *o*). Neque *Romano-Catholicis* ossa desunt & ἀπολεοπαῖα *p*). Quid de Medusae coma dicam? vel de sagittis Apollinis, de sigillis Hermetis, literis Ephesiis, de Apollinis, Herculis, & Alexandri M. imagunculis, de herbis singulis, radicibus, lapidibus, annulis, periaptis, amuletis, figuris Talismanicis vel telesmatibus, pentaculis; ineptis omnibus infidisque securitatis remediis, quae aut sinu clausa, aut ex collo pendula, aut aliter gestare solebant multi veteres & forsan etiamnum nec gestare recusant exteri milites, qui Arcton nunquam viderunt; non dicam, generosi & fortes, sed quibus & cerebrum in capite deest, & cor in pectore. Testis sit *rusticanis* ille *Generalis*, qui A. 1625. d. 10. Octobr. magno licet aenei tormenti globo septem passibus retro jactatus, sanus tamen & illaesus in proelium revertebatur *q*). Testis eodem tempore *ars Passaviensis*, a carnifice tradita, & militibus imprimis Tillii & Wallensteinii familiaris, unde nomen *legionis induratae* extitit *r*). De BVRGGRAVIO, eiusque arte militandi sine vulnere, infra videbimus *s*).

§. IX.

LVCIANVM in *Navigio*, pag. 511. Tom. II. Op.

o) HOTTINGER *Histor. Orient.* lib. 2. cap. 3. pag. 244. & KORNMAN, de *Miraculis mort.* part. 4. cap. 89.

p) v. g. de S. *Caetano*, Theatinorum fundatore, inter alia 300 miracula risu digna, dicitur, ad nominis eius invocationem, vel ad eius imaginem, *enses hebetari*, glandesque tormentarias detorqueri. vid. No. 40. 90. 99. 117. 230. 241. apud DOROTH. ASCIANVM in *Montibus Piet. Roman.* pag. 662. seq.

q) IOACH. BVRGER in *Centuria Observat. milit.* obs. 59. pag. 50.

r) GISBERT. VOETIVS *Dissert.* part. III. pag. 561. adde pag. 577. ubi de Periaptis contra arma quaevis inventis Sylvae-ducis an. 1629. IO. LVD. HARTMAN *von Passawerkunst, vestmachen*, &c. cap. 2. & b. m. SIM. ISOGAEVS in *Karla Segerskiæld*, cap. 15. p. 831. sq. sed hoc, more suo, ridet BALTH. BECKER in der *Bezauberten Welt*, part. 4. pag. 150. sq.

s) Cap. II. §. 7.

§. IX.

V. Non vero ſufficiebat priſcorum ſeculorum gladiatoribus, ut mortis in bello minas evaderent, arma hoſtium inutilia reddere; quin *proprias* etiam *veſtes & inſtrumenta belli malo carmine in victoriam praeparabant.* Non quaerendum hoc loco, an ſolidari naturaliter metalla poſſint, ita ut ferro glandibusque reſiſtant: eſt enim nobis ſermo de iis tantummodo armis, quae arte praeternaturali & magica fabrefacta fuere; adhibitis ſcilicet incantamentis, & diris ceremoniis. Quod colligo ex voce Gothorum antiqua *atquaedi*, quae *formulas incantandi* notat; arma enim vulgaria & non incantata vocabantur *adquaedalaus vopn*, h. e. interprete VERELIO *a*), Svethica lingua, *gemene och otrollade vapn.* Genuina ergo, ad eorum mentem, ſeu magica erant, ſine dubio, cimelia iſta Atisli Regis, galea *Hildegautr*, & lorica *Finleif*; nam dicit EDDA utramque fuiſſe *ferro impenetrabilem*, Gothice, *feſti jarn b*). Talis erat *Caſſis* Grymneri, lapide magico munita, quo inſuperabilis reddebatur *c*) Talis *Bipennis* Hervorae, dicitur enim *diris carminibus* vel *runis inſculpta fuiſſe d*). Vox Gothica ibi occurrens, *Gottamalum* proprie ſignificat *ſermones* vel *carmina deorum*,

a) Vid. *Hiſt. Herraudi & Boſae*, cap. 5. pag. 17. f. & cap. 13. pag. 62. atque *Indicem* pag. 70. 71.

b) conf. VEREL. in *Notis* ad *Hiſt. Götrici & Rolfi*, pag. 68.

c) *in Hiſt. Thorſtani*, cap. 16. p. 87.

d) *Hervarar Saga*, cap. 7. pag. 93. & 101. Non hic offendere LECTOREM debet mentio *Runarum*, per quas hoc loco intelliguntur *characteres magici.* conf. OL. MAGNVS lib. 3. fol. 41. a. ubi *Ruthenicis* forſan ponit pro *Runicis.* Sed dabantur varia Runarum genera, de quibus vide, loco iam citato, pag. 98. et STEPHANII notas ad Saxon. pag. 45. atque auctores ibi citatos. NB. de Runis victorialibus (Sigruner) ita Gloſſarium Island. *Runas victoriales callere debes, ſi ſapiens, aſtutus, atque callidus evadere cupias. Incide eas capulo, vel retinaculo ENSIS tui* &c. Ibidem & pag. 81. Tale quid referre videtur *figura* pag. 255. Tom. III. RVDBECKII, de *Clypeo* autem *Aegei* (*Aegiers* ſive *Oggers* hielm) vid. ibid. pag. 21. fig. 21. pag. 69. 176. fig. G. pag. 277. 282. 688.

rum, & bene obſervat ad h. l. Commentator: *Monſtrat hic locus pugilum arma* NB. *ſymbolis magicis ſignata vel caelata fuiſſe, ne ullis artibus obtunderentur & hebetarentur; deinde ut objecta quaeque penetrarent & diſcinderent.* Huc pertinent *Induſium* ſericum Odderi *e*), XII. *Togae* Thoreri, e pellibus rangiferorum, in Finlandia, magice confectae *f*), *Tunica* Fridlevi Regis Daniae, item Hotheri tunica, ambae contemtrices ferri, & *Zona* victoriae potens, quam huic dederunt Nymphae, *Spiculum* maleficiis Gunnildae procuratum *g*), cetera; ſed prodeant ex hoc armamentario etiam ENSES. Ille, quem *Smidero*, contra Harekr Regem pugnaturo, tradidit Busla vetula & ſaga, magicus omnino erat *h*). Eiusdem naturae & virtutis fuit gladius, quem, interfecto gigante Grimnero, accepit Rex Rolfo, & ab antiquo poſſeſſore vocabat *Riſanöt i*). Nec alius fuit Angantyri enſis, qui dicebatur *Tirfing*; nunquam enim e vagina prodiit, niſi humano tingeretur ſanguine, nunquam rubigine laedebatur, ferrum contemſit & lapides, victorioſus poſſeſſori ſuo in proeliis & monomachiis, ſed ipſi tandem & toti familiae fatalis. Et obſervandum, a Duergis, h. e. nanis, vel geniis forſan malignis, deſiderante Svafurlamio, illum adornatum fuiſſe *k*). Talis gladius, quem a Mimringo Satyro

e) *Hiſt. Hervorae*, cap. 5. p. 70.

f) *Olafs Saga*, cap. 187.

g) De hiſce ſingulis videatur SAXO GRAM. *Hiſt. Dan.* lib. V. p. 67. III. p. 41. 42. & lib. X. pag. 182.

h) *Hiſt. Herraudi* cap. 13. p. 62. Lingua veteri vocatur ille enſis *Sax*, acutus ſcilicet & in modum cultri factus, unius aciei. Hinc *Saxonum* gentem accepiſſe nomen, exiſtimant; ut a *longis bardis* vel bipennibus, Longobardos.

i) *Hiſt. Rolfi* cap. 30. & ſequenti. Riſanöt poſſeſſionem notat gigantis, a *nöt*, naut, nyttja, h. e. *uti*, & *Riſa*, gigas.

k) *Hiſt. Hervor.* cap. 2. & 7. ubi inter alia epitheta & elogia, vocatur *Brynjohataren*, h. e. oſor vel hoſtis clypeorum; item ob fabros, *Duerga-ſmidi.* Volunt aliqui per hos *Dvergos* intelligi meros homines, puſillos & rupicolas; ſed daemonum certe, vel ſemidaemonum, non hominum, opera multa ſunt, quae illis tribuuntur, e. g. quod de *Pygmaeo Sindre* ſcribitur in hiſt. Thorſtani cap. 22. & ſq. Ceterum, dari

Satyro accepit Hotherus *l*): talis forsan ille *Angurvadal*, de quo dicitur: *Han beit jarn sem klädi*, h. e. ferrum penetravit, ut pannum *m*); & huc referrem gladium Haquini Norvegiae Regis, a Rege Adalstein ipsi donatum, dictumque *Quarnbidr n*); nisi ambo fuissent Christiani: quia lapidem molarem eo secuisse, haud aliter ac cotem novacula discidisse, perhibetur Accius Navius apud LIVIUM *o*).

§. X.

Verum, ne hoc etiam flagitium solis *Hyperboreis* imputetur, carmina obstare videntur veterum Poëtarum; quos, licet multa finxerint, fictis tamen vera subinde miscuisse, credimus. Atqui frequens illis est, arma Deorum manibus fabricata *a*), tribuere heroibus; ut Palladia publicaque securitatis pignora taceam, v. g. *Sagittas Herculis* vel *Philoctetae* apud Graecos *b*), & Latinorum *Ancilia*, illa ὅπλα Διοπετῆ, sive, ut LIVIO dicuntur *c*), *Coelestia arma*. Non certe apud Superos, sed apud Inferos potius armorum ejusmodi officina statuenda est; & nullus dubito, quin fabri isti, maximam partem, superstitiosi fuerint homines vel magi, quamvis sub divinitatis umbra eos latere antiquitas voluerit. Producenda hic essent, quae de *Ida* monte, & *Dactylis* refert DIODORUS SICULUS *d*); nisi ostendisset Cl. RUDBECK *e*), montem illum situm esse in Suecia. Quocunque autem modo se res habeat, minus in Orien-

pygmaeos revera homines non abnuo. Conf. GASP. SCHOTTI *Phys. Curios.* lib. 3. cap. 7. THOM. BARTHOLIN, *Antiqu. Dan.* lib. 2. cap. 12. pag. 570.

l) SAXO, lib. 3. pag. 40.

m) *Thorstens Saga*, cap. 3. 10. & 19. pag. 99.

n) STURLON. *Hist. Regum Sept.* Tom. I. p. 122. & 160. vid. infra cap. 2.

o) lib. 1. cap. 36.

a) ἄμβροτα τεύχη Poëtis Graecis; *fabricata vatibus arma*, CLAUDIAN. in 1. cons. Stilichon. lib. 1. v. 105.

b) conf. NAUDAEUS loc. cit. lib. 1. pag. 370. seq.

c) lib. 1. cap. 20.

d) lib. V. cap. 15. & XVII. c. 7. pagg. m. 156. 530.

e) *Atlant.* Tom. I. cap. 36. pag. 796. seq.

Oriente, aut Meridiem versus, otiosum fuisse sub gentilismo generis humani hostem, quam sub Borea, nemo mihi facile persuaserit. Ludus potius est, quam historia, quod a CAELIO CALCAGNINO *f*) de gladiatore quodam refertur, in hunc modum concipiente vota: *Apollo, qui aereo curru aereum coelum quatis, invictum hominem invictis viribus vides. Digna arma comparare studeo mihi. Quid ad hanc rem opus sit, Apollo expedi, facque, ut Vulcaniis armis uti possim, quae neque tragula, neque catapulta perforare possint, &c.* Respondet antiquorum mori, qui, quotiescumque armis indigebant, Vulcanum sollicitabant votis; docetque fabula naturalem militandi modum, istius aevi ac terrae hominibus, ceu minus tutum, displicuisse, ideoque vitium illud ibi perstringitur. Alia producam. De auctore *Claviculae Salomonis* Regis nihil dico; sufficit, impostorem fuisse. Liber vero ipse, qui, ut in epilogo jactatur quasi laude dignum, *omnem scientiam magicae artis* comprehendit, inter alia detestanda, artem docet, qua conficiendus sit *gladius Martis*, sub congruo scilicet siderum situ, quomodo deinceps tingendus sanguine, characteribus, ut dicuntur, sacris, suffitu, aqua exorcizata muniendus, &c. Particulam tantum incantationis adponere liceat: *Coniuro te, Ensis, per haec sanctissima nomina Abrath, Abradabra*, &c. *quod sis fortitudo & defensio contra inimicos omnes tam invisibiles, quam visibiles. - - Coniuro te, ensis, ut contra omnia adversa sis mihi præsidium, Amen g*). Non est, ut de hoc plura addamus. Vides L. B. intelligis, &, dum istam impietatem stupes, omnis Septentrionalium superstitionis te facile capiet oblivio. Astrorum nuper mentione facta, memoriam subit, quod refert TRITHEMIVS *h*) de *ense* quodam 180. *gladiolis* referto, sub certa constellatione mirabiliter confecto, & Regi Galliae oblato ab Italo

 quodam

f) Libro *Oraculorum*, pag. 645. operum.

g) lib. II. cap. 8. sequitur & alia coniuratio, quam intermitto. Neque procul ab hoc abit experimentum vel carmen illud, nonnullis usitatum, ut *secure per hostes transeant*, de quo RICH. ARGENTINVS de *praestigiis daemonum* cap. 17. p. m. 181.

h) *Chron. Sponheim.* ad an. 1501. p. 414.

quodam mago, *Johanne*, qui se etiam Mercurium nominabat. Indusio Odderi supra memorato opponimus *indusium Germanorum* (vulgo *Notbembd*) seu vestem militarem, qua induti contra omnes telorum ac globulorum ictus, se tutos arbitrabantur, plus quam ullis armis, ea confisi, etiam Cæsares & Principes *i*). Sed satis diu circa haec deliria versati sumus.

§. XI.

Vnicum tamen prius observandum, ea nimirum, quae de *Septentrionalium* magia militari iam dicta sunt, non omnibus ac singulis tribui posse; quasi nemo extitisset illo tempore, ab hoc crimine immunis. Absit. Dabantur enim inter eos, qui in arma nati, in armis consenuerunt, multi probi & egregii viri, apud quos sola virtus valuit, quique nefarias artes omnes aversati, consilio & manu rem contra hostes gerere maluerunt. Abundant exemplis monumenta veterum, ex quibus unum, sed maxime illustre, eligendum est. *Bosa* scilicet, iuvenis praeclaræ indolis, cum instruere eum magica scientia amici vellent, eiusmodi responsum dedisse fertur, quod sic ad verbum transfero: *Minime*, inquit, *hoc admitto. Nolo enim, in historia vitae meae scribatur posteritati, rem ullam, quae virtutis documentum meae, gloriaeque futura est materies, infamibus me gessisse artibus* *a*). Verba generoso & regio plane animo digna! digna gentium omnium attentione! Ausim & hoc dicere, paganos Gothorum reges, in studio isto magiae, longe fuisse prae aliis parciores. De *Russia* & *Biarmia* supra mira audivimus. De

i) vid. STROZZ. CIGOGNA, vero nomine, *Thom. Garzonius, Magia Omnif. Part. I.* lib. 4. pag. 442. sq. & IO. WIERVS de *Praestigiis daemon.* lib. 5. cap. 18. pag. 575. ubi eius descriptionem hisce verbis claudit: *Haec plus quam superstitiosa, Sathanae doctrinam crasse nimis redolent.* DEL-RIO *Disquis. Mag.* lib. 2. qu. 21. p. m. 102. b. dicit id vocari *camisiam inferni.*

a) In *Historia Herraudi & Bosae*, cap. 3. Nec aliter CICERO, lib. 3. de *Officiis* cap. 22. *Absit scelus, in quo non potest esse gloria.* Item, *Vinci satius est, quam malo more vincere.* Conf. CONRING. de *Rebuspubl.* part. II. pag. 1038.

De Rolfone *Irlandiae* Rege scribitur *b*), eum idololatria & magicis artibus omnes superasse. Rolfo Rex Westrogothiae, qui ab illis plane abhorruit, de isto suo homonymo ipse dixit: *han er fullr upp galldra oc giorninga*, hoc est, *pessimum eum esse magum, & plenum diabolicarum artium*, &c. id quod etiam Ella Rex Angliae, aliique testabantur, & eventus docuit. Neque id omittendum existimo, quod observarunt Antiquarii, & quod cuivis res gestas veterum perlustranti sponte in oculos incurrit, viros honestos & scelere puros, virtute duce, comiteque fortuna, omnia pericula, insigni cum gloria & triumpho, superasse: at diaboli mancipia, queis magica arma & artes sacra fuere anchora, foedum atque infamem nacta esse exitum.

§. XII.

Sed habuit Satanas, habuit mortales decipiendi dominium eius suam quoque periodum. Quamprimum Servatoris CHRISTI, qui venit in mundum, ut πανοπλίαν, μεθοδείας, καὶ τὰ ἔργα τοῦ διαβόλου solveret destrueretque *a*), in nostrum etiam Septentrionem notitia penetravit; mutata sensim rerum morumque facie, *a tenebris ad lucem*, *a potestate Satanae ad Deum b*) incolae conversi sunt. Proscripta ab eo tempore apud nos sunt scelerata arma, gladiique incantati omnes; nec enim rotantur amplius Christianorum militum dextris, nec conspiciuntur oculis, ne ore quidem ea nominare scimus. Sciat ergo universus orbis, ut certe sciunt & confitentur saniores omnes populi, nos Gothorum quidem Svionumque nepotes esse ac posteros; minime vero pravarum artium haeredes: Martium quidem vigorem, & militare robur, a maioribus in nos, una cum sanguine transfusum, retinere, sed barbariem omnem ac feritatem dudum, & annuente Deo, dum coelum volvitur, nunquam resumendam, deposuisse. Allegari in hanc rem statuta Principum nostrorum quamplurima possent; sed audire sufficiat, cuius heic caussa agitur, GVSTAVVM II. MAGNVM *c*).

b) *Hist. Göthrici*, cap. 32. seq.

a) Luc. XI, 22. Ephes. VI, 11. 1 Ioh. III, 8.

b) Act. XXVI, 18.

c) Ita ille in *LL. militaribus*, An. 1621. d. 15. Iulii Artic. 1.

§. XIII.

Verum enim vero quid non quorundam fingit ignorantia? quid non audet aliorum calumniandi lubido? Proh nefas! quot fabulae, quot mendacia plus quam Phoenicia de gente patriaque nostra occurrunt apud exteros, in eorum praecipue, qui religione a nobis diversi sunt, scriptis ac commentariis? Papicolae, dum aegre ferunt, nos, excusso tyrannidis iugo, eorum nec errores agnoscere, nec fastum tolerare, nec avaritiam satiare amplius velle; dum vires suas, artes & machinas, Svecorum saepius armis fractas subrutasque deplorant: ut aliqua ex parte nobis nocuisse videantur, commentis contumeliisque pugnare iam debellati consvescunt, atrumque in nos virus eiaculantur, quasi tam facili modo enecandos. At vivit constans sibi, vivit conscia recti *Gothorum* virtus, & ridet mendacia Romae. Non loquimur de levioribus naevis, qui nobis cum aliis gentibus possunt esse communes; (quae enim natio tam sancta, ut hinc se velit aut queat excipere?) sed de vitio, quo enormius datur nihil, magicarum artium studio. Neque negare prorsus audemus, superesse forte aliquid superstitionis apud eos, qui ad axem extremi Boreae positi, & a societate cultiorum hominum remotiores, in vastissimis silvis montibusque segregem ac rudem vitam agunt; licet in hoc etiam malo amoliendo non desit Imperantium cura, ut alibi dictum *a*). Quum vero & reliquis regni incolis, innoxiis plane, & ne quidem suspectis, eadem labes ignominiose imputatur; quum nec iis parcitur, apud quos rerum Septentrionalium summa stat, stetitve: quis tum non videat, hanc esse iniuriam, omnis humanitatis

Efter all lycka kommer af Gudi, och allt Christet folck bör honom dyrcka, såsom han sig i sitt ord uppenbarat, hafwer, derföre skal här med alt afguderi wara förbudit, och ingen afgudadyrckare, trullkarl, eller Wapendöfware i lägret och ibland Krigsfolcket liden warda, &c. Sensus est, omnes idololatras, & veneficos, qui aut *arma gladiosque hebetare*, aut *alias artes, Christianis indignas, exercere* audent, supplicio mortis puniendos, & ex castris plane exterminandos esse.

a) Conf. si placet, ACTA *Liter. Sveciae*, Trimestre IV. anni 1727.

nitatis nesciam, adeoque nec tolerandam unquam, aut silentio facile digerendam; nisi ei, qui stomachum habuerit Struthiocameli?

§. XIV.

I. B. Morini impudens figmentum supra §. II. allatum, & in sequentibus paragraphis, ut par erat, explosum vidimus, atque plura de eodem mox audiemus. Quo autem nomine excepti fuerint, seculo superiori, Sveci in Germania arma circumferentes victricia, ignotum vix esse poterit. Quod spirabant, quod vocem mittebant, quod formas habebant hominum, hostes indignabantur *a*); se rem cum magis monstrisque habere iactitantes. Breviter sed pulcre ista nos docet EVVRT. IOLLYVET *Aurelianensis*, sequenti carmine *b*):

Aeterna ut saeclis vigeat vindicta futuris,
Instruit exodiis pueros prostrata Vienna
In SVECOS, calamis animo quos pingit acerbis.
Praedicat illa viros immani corpore, vultu
Deformes, magicos, crudeles sunt Arimaspi,
Incantant visu segetes, pecudesque malignis
Carminibus perimunt, languentis vulnere morbi.
Haec violat ventos, fluctus irasque coërcet
Natio, robustos verbis quae fascinat hostes.
Ast animosa leves nugas Bellona repellit,
Non ita vincentur SVECI puerilibus armis.

Huc pertinet, quod NAVDAEVS *c*) narrat eodem tempore contigisse, cum primum Svecus in Germaniam moveret. *Quis*, inquit, *tunc rumorem sparsum non audivit de tenebris, quas Finlandi milites, damnatis artibus, in expugnatione cujusdam arcis munitissimae concitarant? Ego sane videram illum disseminari Parisiis,*

a) Vt *Canuleius* loquitur apud Livium, lib. IV. cap. 3.

b) In Libro, cui titulus: *Fulmen in aquilam*, seu Gustavi M. Bellum Sveco-Germanicum, p. 113.

c) *Synt. de stud. milit.* pag. m. 399. sequ.

risiis, *& quosdam amicorum subsannarum*, &c. *d*). Sed *milites* Svecos insimulare magiae parum erat, nisi *Ducem* etiam eodem crimine polluerent. Eo igitur usque processit inimicorum, virtuti alienae felicitatique iratorum, vesana temeritas; ut Regum omnium maximum ac religiosissimum, GUSTAVUM ADOLPHUM pravis etiam artibus, diaboli opera, (vide infra blasphemiam Tillii *e*) ac *gladio* praesertim *magico*, omnes sibi parasse victorias, dicere spargereque non vereantur. An esse ulla maior aut insignior contumelia potest? Invidia, quam amens, quam furibunda, quam coeca ruis? non contenta gregariis, vel summa, instar flammae, petis; in sacrum caput, in tantum Regem incurris ac involas!

§. XV.

Servatur *gladius* iste, & infame ferrum in pereleganti Bibliotheca ampliss. Senatus Lipsiensis, atque, inter alios thesauros, peregrinis adventantibus ostendi solet; addito sinistro, sed incerti auctoris, effato: hunc ipsum esse, quo usus fuerit in Bello Germanico, & quocum in agro Lützenensi occubuerit *Rex*

d) Merito subsannat, & auctoritate Pet. Bapt. BURGI, ostendit deinde arcem illam fuisse *Brandeshagam Rugiae*, a Svecis expugnatam: tenebras vero nil aliud quam fumum crassiorem, continua tormentorum displosione exortum, qui *credulis*, inquit, *hominibus imposuit*, *ut innata sua stoliditate*, *confestim disseminarent*, *magicum illum fuisse*, *& a Finlandis. excitatum*, *probe istarum artium peritis*.

e) För slaget åkallade wår Konung (Gustav Adolph) den allsmächtiga Gud och hans Son Jesum Christum: men General Tylli och hans anhang J. Mariam och andra Helgon, &c. Så hafwer ock Tylli, sedan denna herliga Victoria H. K. Maj. til handa gick, sig höra låtit, och obetänkt talat, och försmädeligen sagt: NB. *Antingen är den lefwande Gud intet mera til*, *eller ock Konungen i Swerige och hans Lappar hafwa Satan med sig*, &c. h. e. Aut iam vivere desiit Deus; aut cum Satana commercium habent Rex Sveciae, eiusque Lappones. Ex *Continuatione relationis om K. Gustav. Adolphs sköna Victorier*, *ser deles wid Aschaffenburg*, *emot den Ligitiske armeen*, *pag*. 8.

Rex Sveciae. Vt eum conſpexi, ut ſtrinxi, characteribusque monſtroſis tanti Principis nomen immixtum legi; totus obſtupui, ſteteruntque comae. At occaſionem vindicandae glorioſiſſimi Regis famae, minime praetermittendam ratus; impetrata Cuſtodum venia, enſem pictoris manu quam accuratiſſime delineari feci, & iam demum ligno, quanta heic locorum fieri potuit induſtria, inciſum, patriae primum, ac omnium deinde mortalium oculis conſpiciendum ſiſto. Quod nunquam facere occuparem, niſi mihi conſtaret cum innocentia Regis, tum mendacii evidentia. Equidem ſcio, *Lipſienſes* id minime credere *a*), ſed referre tantum relata: at *Svecorum* eſt, perperam de Principibus ſuis relata etiam confutare, & ſero potius, quam nunquam, obviam ire intolerandae temeritati. Confido quoque hoc qualecunque ſcriptum eo minus Evangelicis Germanis eſſe diſpliciturum; quo ipſi Suecorum armis, tanti praecipue Herois patrocinio, plura ſe debere merito agnoſcant. Praeterea, ut erga Bibliothecam hanc *Senatoriam*, qua non minus ac altera illud *Paulina*, ſaepius uſus ſum, aliqua ex parte, gratum meum animum teſtatum faciam; ut peregrinos omnes, Lipſiam poſthac tendentes, & *Guſtavi Adolphi gladium*, uti dicitur, contemplantes errore, in quem ad credendum incauti facillime induci poſſunt, liberem; ut poſteritati denique, poſt longa intervalla temporum, uti fit, falſa a genuinis difficilius diſcreturae, conſulam inſerviamque: *ſequenti Capite*, oſtendere mihi animus eſt, & invictiſſimis argumentis probare, *Enſem iſtum magicum omnino eſſe ſpurium, ſubornatum, atque contra omne ius & fas, Svecorum Regi* GVSTAVO MAGNO *adſcriptum.*

CAPVT SECVNDVM.

§. I.

Cum de origine *Gladii* huius, quem unicum credidi in rerum natura dari, de cauſſa auctoribusque eruendis tam vani

a) Hanc cauſſam eſſe exiſtimo, cur in *Deſcriptione huius Bibliothecae*, a Gottfr. Chriſt. GOETZIO edita An. 1711. ubi varia eius enumerantur cimelia, nulla iſtius *gladii* fiat mentio.

vani ac infandi ſermonis, diu multumque mecum agitarem; & in hunc finem doctorum virorum ſcripta, numero non pauca, evolverem: incidi forte in ſupra citatum *a*) *J. B. Morini* ſingulare atque ſtupendum opus, quod inſcribitur *Aſtrologia Gallica.* Vita Auctoris, libro praefixa, oculis ſe primum obtulit, ibique, dum narratur, emortuale tempus R. Guſtavi Adolphi Cardinali Richeliáeo praedictum a Morino fuiſſe; mox ſequentia verba *b*) addita conſpexi: *Regis huius in praelio caedes enſem eiusdem in memoriam revocat, de quo pauca, levi uſus digreſſione nec iniucunda, proponam. Iſti enſi praeclare a* Guſtavo *acta in praeliis tribuenda eſſe ſenſere complures, quod neque ipſe Rex abnuebat. Ipſo interempto, disquiſitus eſt enſis (quam recte non diſcutio), a milite ipſius poſſeſſore, pecunia redemptus venit tandem in* Morini *manus: laetus hoc viſo telo, cum Taliſmanorum quoque non ignarus eſſet, expreſſos auro in enſis veruto characteres inſpexit, ac expendit diligentius, una ex parte ſcutulam verſus capularem ſic legebatur:* Guſtavus Adolphus Rex Sveciae, *ex altero vero:* Audaces fortuna iuvat, timidosque repellit. *Ad imum Sol aureus videbatur, & Martis character, ex quo guttae, in pluviae modum, effuſae decidebant; ex adverſo varii & ignoti fuere characteres, Planetarum aliquot intermiſti figuris, quae cuncta cum ejus Horoſcopo & mortis themate nil omnino foederis habuere.* Hiſce invitatus, & Morinum ipſum potius quam alios audire cupiens, vaſtiſſimum librum, cum indice deſtituatur, a capite ad calcem, interdum non ſine faſtidio, perlegere cogebar. Voti tandem compos, anxie quaeſitum *Guſtavi gladium* reperi, de quo iudicium Morini, ob prolixitatem, infra literis minuſculis adponendum duxi *c*).

§. II.

a) cap. 1. §. 2. lit. a.

b) §. LXVI. pag. 14.

c) Occurrit hic locus libro XX. Sect. IV. cap. 8. pag. 494. Diſſerens ibi auctor contra doctrinam Taliſmanicam Iac. Gaffarelli, haec ſubiungit verba: *Quamvis olim mihi non parum difficile fuerit illud viris quibusdam nobilibus perſvadere, qui poſt mortem fortiſſimi* Guſtavi Adolphi Sveciae Regis, *me Pariſiis convenerant, ut illis exponerem imagines & characteres*

§. II.

Ex verbis allatis adparet, quid crediderit *Astrologus Gallus*, scilicet 1. gladium illum fuisse magicum, 2. a Gustavo Adol-

auro depictos super acinace & damascino chalybe, quo ipse Rex armatus erat in proelio Lutzenensi, ubi ab aliquot mensibus occubuerat, quippe cui gladio in suis omnibus proeliis plurimum confidebat: Eum autem emerant a quodam milite. Eratque multo sanguine maculatus, ac super uno latere literis aureis scriptum erat a capulo versus mucronem: Gustavus Adolphus Rex Svetiae. *Super latere autem altero:* Audaces fortuna iuvat, timidosque repellit; *prope mucronem ex una parte erant imago Solis & character Martis, ex quibus plures stillabant lacrimae: ex altera vero magici characteres mihi ignoti, & passim tales characteres cum Planetarum & signorum notis disseminabantur. Urgebant autem ipsi nobiles, ut haec omnia illis explicarem, adserentes se certiores factos fuisse, me nullam ex scientiis sublimioribus & occultioribus ignorare, ac in Magia praesertim excellere: quae verba cachinno primum excipiens, pluries renuentibus credere respondi, me quidem naturales omnes scientias & Astrologiam praesertim excolere, sed ut verum decet Christianum atque Catholicum: magicas autem maxime detestari: nihilominus inspexi an ex characteribus Astrologicis quid esset, quod vel ejus Natalitiae, aut Revolutivae figurae congrueret, aut constitutioni coeli, sub qua occisus est, sed nihil inveni. Quamobrem illis nobilibus dixi duntaxat: Tantum Regem fuisse deceptum ab aliquo Nebulone, vel Astrologo, vel Mago, vel etiam ignaro, qui perpetuas illi victorias per talem gladium obtinendas forsan vendiderat, sicque solere decipi quicunque Diabolo, vel eius Ministris fidem adhibent, relicta naturali via praevidendi ex astris, qua ut Caesar in proelio adversus Brutum & Cassium a morte liberari potuisset. Rex enim Svetiae proelium aggressus est die sibi coelitus infoelicissima atque lethali, ut ex eius figura & Ephemeridibus videre licet, & suo loco exponemus.* Hic, quasi in transitu, probe notandum, gladium, de quo Morinus, si descriptionem eius cum Schemate nostro conferimus, plane esse ab illo diversum, quem in Germania possident Lipsienses.

pho non modo gestatum, sed 3. etiam religiose habitum, quasi victoriarum instrumentum, 4. Regem a diabolo eiusque ministris fuisse deceptum, ac 5. die sibi coelitus infelicissima occubuisse. Proinde ex Germania saltum heic faciamus in Galliam, & positis paulisper armis, colligamus prius & reliquas de maximo hoc Rege nugas, queis Opus suum genethliacum *a*), veluti adulterinis gemmis, exornare studet Morinus; ut eius erga Gustavum animus, a prima quasi radice, innotescat. I. dum Libro XVII. qui agit de Domibus astrologicis, & erigendis figuris coelestibus, se praedixisse iactat Card. Richelio mortem Regis nostri violentam; errorem excusans in definiendo tempore ac die, ob falsum horae natalitiae momentum sibi datum, figuram genethliaci thematis, ut ipse putat, correctiorem sistit *b*), hic Lectoris B. oculis ac examini exhibendam; ubi tamen observandum est, per incuriam sculptoris, in domo octava male poni *min.* 53. pro 35.


Nativi-

a) Conferre iuvabit de hoc Opere, eiusque Auctore doctorum-Virorum iudicia, ut GASSENDI in *Apologia adversus alas Morini*, & in *Vita Peirescii* ad 1619. BERNIERI in *favilla*, itemque *Anatomia ridiculi muris:* GV. PATINI, *Lettre 108.* & 233. ubi dicit: *Cet homme etoit fou & demi enragé:* BAELII dans son *Dictionaire Hist. & Critique*, Tom. II. pag. 2142. sequ. SORBERII in *vita Gassendi*, apud Witte in Mem. Philos. Tom. II. p. 422. MORLIERII in libro: *Essais de literature*, Tom. I. p. 228. IO. FR. BVDDEI in *Thes. de Atheismo & superstitione*, pag. 717. & ex nostris, MAG. GABR. BLOCKII uti sina *Anmärkningar öfwer thessa tiders falska Astrologiska Prognostiker*, &c. §. VII. p. 11. seqv.

b) Libro cit. Sect. II. cap. 2. pag. 400. Confer etiam lib. XXIII. cap. 7. 10. 16. Lib. XXIV. Sect. II. cap. 10. & 11. pag. 9. 432. 611. 634. 660. 685. 688.

Nativitas Guſtavi Adolphi Regis Sveciae.

195. 22.



Ex hoc themate, tanquam ex tripode, Regis ingenium, mores, res geſtas, & fata eruit. Sed notandum II. quod adſerit ibidem, ♀ & ♃ cum ☿ in ſecunda domo in malignis radiis ♄ & ♂ promiſiſſe Regi *ingentes opes*, *ſed malis artibus*, *quippe violenter parandas*. III. de morte eius loquitur, eam fuiſſe ex plumbo ignito ob ♄ in ſigno ♌, denique ferro ob ♂, & quia *pluries quaſi occiſus eſt*, ad eum adplicat illud Evandri apud MARONEM *c*):

c) *Aeneidos* Libro VIII. pag. m. 321. v. 14. ſeq.

Et regem hac Herilum dextra ſub Tartara miſi,
Naſcenti cui tres animas Feronia mater,
Horrendum dictu, dederat: terna arma movenda,
Ter letho ſternendus erat. . . . . . .

IV. Occiſum eum non fuiſſe dicit, niſi, ſpretis amicorum precibus, fatali imprudentia, *inermis* proelium iniiſſet *d*).

§. III.

Hae eiusmodi res ſunt, quas, ſine iuſtis cauſſis & argumentis, impune effutire non licet, tanto praeſertim Aſtrologo, qui Theologica etiam dogmata mathematico more demonſtrare ſatagit. Quod attinet I. ad *geneſin R. Guſtavi Adolphi*, eam aſtrorum peritis examinandam committimus; non mirantes heic loci audaciam viri, cum *Adamum* non modo, adhuc integrum, aſtrorum influxui ac impreſſionibus obnoxium faciat *a*), ſed Dominum quoque & coeli & terrae IESVM CHRISTVM, figuram eius natalem a Cardano & erectam defendens, & novam ipſe addens *b*). Dicit ſe praedixiſſe mortem *Regis Sveciae*, cui? Cardinali Richelio: at hic mortuus erat, quum iſta ſcripſit Morinus, ipſi etiam poſt funera hoſtis *c*). Si teſtes quaeris, nulli adſunt. *d*). Praeterita eum recenſere ubique video, quomodo ſcilicet figuris ſuis reſpondeant, quas defunctis iam hominibus nuper erexit, Richelio, Tronſonio, Duci Montmorancio, Wallſteinio, Cardano, Condreno, Gaſſendo, &c. *e*); ſed nunquam eum in iſto libro Prometheum aut Prophetam audivi. Regis ſui LVDOVICI XIV. nativi-

d) Pag. 401. 434. & 611.

a) *Aſtrol. Gall.* Lib. XVII. Sect. I. cap. 8.

b) Conf. Lib. XX. Sect. IV. cap. 7. pag. 489. & *Praefat. Apologetica* pag. 21. & ſeqv. De aliis hiſce ſimilibus vid. D. BVDDEVS de *Atheiſmo*, pag. 728. & Auctores ibi citatos.

c) Ob negatum praecipue praemium, pro invento longitudinum arcano promiſſum. vid. pag. 613. 623. 625. 647.

d) De non ſuſpectis loquor. Nec *auctor vitae Morini* ſufficit.

e) Conferantur de illis paginae 612. 614. 401. 402. 396. 628. 717.

nativitatem sistit pag. 555. verum imminentia fata tacet. Cur taces, Morine? An nescis te oracula ex astris captare reddereque posse? At dixerit quispiam, iniussum non audere. Respondeo, iussum aliquando praedixisse, sed falsa saepius *f*). Maxime miror, hominem vitae suae historiam toties, & usque ad Lectorum nauseam, repetere, vel minima quaeque v. g. morbum catarrhi, & tenuitatem, ceu loqui amat, remunerationis, ut siderum minas ac decreta, ausu prorsus temerario, venditare *g*): sed de futuris rebus ad se spectantibus nihil in toto illo opere vaticinari; unicum locum si excipis *h*), ubi de an. 1649. loquitur, omniaque tunc in suam mortem potentissime conspirare edicit; quod tamen vaticinium falsissimum fuisse eventus docuit, siquidem A. 1656. d. 6. Nov. demum, praemonente chiromantica vate, extinctus est *i*). Cesset igitur de morte *Gustavi M.* a se praedicta, vana stolidaque Pseudomantis iactantia; qui suum ipsius, non diem dicam aut horam, sed annum fatalem ignorabat.

§. IV.

II. Quod Morinus dixit de *malis artibus* & *violentia* Regis, id aut Planetarum error, aut, quod verius, ipsius Planetarii nostri improbi mendacium fuit. Haec vitia apud Svecorum hostes potius, *Tillium*, *Pappenheimium*, *Wallensteinium a*), & Caesarianos milites *b*) invenire potuisset. Et si non alia adfuissent

f) Exempla vide apud BAYLE, & ceteros supra citatos §. II. not. a.

g) Pag. 398. 410. 433. 520. 617. sequ. 638. seq. 648. 686.

h) Nimirum Libro XXIII. cap. VII. pag. 627. NB. Hic loquitur de anno illo 1649. tanquam futuro, sed libro praecedenti XXII. Sect. II. cap. 3. pag. 556. refert, quid sibi A. 1652. contigerit. Hunc ergo annorum calculum seriemque non capio; nisi dicamus eum aut sequentia aliquot annis prius scripsisse, aut cum Patino, *qu'il étoit fou.*

i) *Vita Morini* §. XCIX. & sequ.

a) De hisce singulis infra cap. III. plura videbimus. Laxationem certe disciplinae militaris per Ducem Fridlandum introductam esse, testatur SAAVEDRA, in *Symbolis Polit.* pag. 688.

b) Hinc bello captos his verbis increpare tantum solebat Rex Sve-

fuissent enormis eorum saevitiae *violentiae*que documenta, suffecisset ipsi in rogum bustumque versa Magdeburgensium civitas, & caedes eorum plus quam barbarica & beluina. GVSTAVI vero Regis aequitatem & clementiam totus orbis aequus iniquusque celebrabit *c*); siquidem non modo *debellare superbos*, sed etiam *subjectis parcere* adsvetus, caedibus, incendiis, rapinisque, etiam iure licitis, temperavit *d*), captivos huma-

ciae: *Ihr gehet mit den armen unschuldigen Leuten umb, ärger als die Türken.* vid. WOLIMHAVS, *12. Luther. Kirchen*, pag. 268. & 300. De *Excidio* autem *Magdeburgensi*, praeter maiora opera historica & relationes impressas, elegans sed lugubris habetur narratio ADLERSALVII in *Actis MSS.* Bibliothecae nostrae ad A. 1631.

c) Ex ipsis *Pontificiis* EVERH. WASSENBERG, *Commentar. de Bello*, pag. 254. sequ. enumeratis Gustavi virtutibus, ita concludit: *Pronum erat istis moribus, & bona militiae anima orbis Imperium occupare.* Quid ad haec tu, MORINE, cum tuis *malis artibus?* IEAN de SERRES dans *l'Inventaire general de l'histoire de France*, pag. 1110. & sequ. inter alia Regem vocat *Prince capable de se faire aimer aux plus barbares.* Maxima etiam elogia vide in GALEAZZI GVALDI *Historia delle guerre di Gustavo Adolpho Re di Svetia*, lib. V. pag. 128. sequ. & Ejusdem *Historia di Christina Alessandra*, mox ab initio. Conf. praeterea PETR. BAPTIST. BVRGI *Comment. de Bello Sveco* pag. 64. & *Theatrum Europaeum* ad A. 1631. & sequ.

d) Testis sit *Monachium*, ubi cum suaderetur, ut superbum Palatium destrui curaret, non id, ut Alexander, Thaidis suasu, Persepolis regiam (DIOD. SIC. *Biblioth.* lib. XVII. p. m. 559.) incendio absumpsit; sed Regia voce respondit, *se nolle mundum privare tanto ornamento.* vid. Relat. Hist. & curj. de Voyage par CHARLES PATIN, pag. 85. Testis etiam *Herbipolitana arx;* ea enim expugnata, nihil de pretiosissimis rebus, undique convectis, auferri patiebatur; excepta Bibliotheca, quam patriae memor, Academiae Vpsaliensi dono misit. vid. SCHEFFERI *Memorabilia Svet. Gentis* cap. 21. §. 6. Egregium etiam disciplinae militaris exemplum vid. ibid. cap. 10. §. 4. apud LOCCEN. *Hist. Svec.* lib. VIII. pag. 598. seq. Pudeat iam Morinum, Regis *violentiam malasque artes* legisse in coelis: pudeat quoque ciuem eius CAR. OGERIVM mendacii sui, in *Itinere Polonico* pag. 289.

humanissime habitos sine pretio dimisit, atque exulibus miseris copiam fecit redeundi ad pristinas sedes, h. e. in Sveciam *e*). Quod si armorum caussaeque iustitia, si pietas, si militaris disciplina, & summa moderatio *malae artes* dicendae sunt; dicat mihi Morinus, quid per *bonas* intelligat.

§. V.

III. Dum *plumbum ferrum*que, queis ictus occubuit tantus Heros, per vasta coeli spatia errabundus, quaerit; dum illum cum *Herilo*, ter necato & sub tartara misso, comparat: vanitatem non modo astrologicam prodit, sed suum etiam virulentissimum animum. Miser homuncio, inter circinos suos & astrolabia delitescens, ut Catholicorum principum gratiam, magnamque magis quam bonam, famam aucupetur *a*), mortuo Leoni insultat; nescius plane, ex eius vulneribus plus emanasse gloriae quam sanguinis *b*).

§. VI.

IV. Frustra nobis omniscientiam suam persvadere conatur, de Rege dicens: *non fuisset occisus, si armatus fuisset.* Contra: Morinus non fuisset derisus, si tacuisset. Nam si per *arma* galeas intelligit, scuta, clypeos, loricas, thoracasve, ferreos, chalybeaque brachia & manus; Regem illis caruisse concedimus *a*). Verum tamen Heroum arbitria & actiones corrigere,

e) SCHVRTZFLEISCH de *Rebus Sveticis* ad §. 3. & LOCCENIVS, Diss. de *migrationibus Populorum.*

a) Erat enim gloriae cupidissimus. conf. *Astr. Gall.* pag. 520. 649. &c.

b) Maiori hoc iure dixerim, quam de *Catone* VALERIVS MAX. lib. III. cap. 2. §. 14. *Pulcramque* petiit *per vulnera mortem;* Id quod dicere etiam solebat Rex, (imitatus forte Alexandrum apud CVRTIVM lib. IX. cap. 6. 22.). *Nihil morte mihi carius, nam in his operibus extingui mihi, si fors ita ferat, pulcrum est.* Teste IAC. FABRICIO in *Sermone funebri* in R. Gust. Adolphi pag. 24. Sic

Contemnit mortem laudato vulnere Gothus.

a) Vid. PAVLINI *Hist. Arctoa* pag. 402. Accedit quod nec lori-

rigere, non est plebeii hominis: multo minus fatorum leges, aut decreta Superum inflectere. Porro ignorare non debuit, gravem istam armaturam, ut parum commodam, antiquis non modo plurimis displicuisse *b*), sed apud recentiores potissimum in desvetudinem sensim abivisse *c*); ut raro hodie, nisi in magnatum palatiis, ceu rudioris aevi spectaculum, inveniatur. Praesertim post inventam rem tormentariam, machinas ignivomas, & fulminales glandes, quibus nulla amplius arma impervia sunt; ita ut nudo pedite tutior non sit, ad fortuitos volantium globulorum ictus, cataphractus eques, nec dux gregario, nec generosus ignavo, nec robustissimus imbelli. Si vero gladio destitutum fuisse Regem, *Morinus* putat, ideoque eum

ea nec galea Gustavi II. in Armamentario Stockholmensi comparent, ubi tamen eiusmodi reliquiae Principum solent adservari. *Labor impeditur, pondere armorum nimis.* Ita Reg. Gustavum loquentem introducit IOH. NARSSIUS in Tragoedia sua, *Gustavus Saucius*, Act. V. p. 67. conf. etiam Epistolas Regis Gustavi & Reginae Mariae Eleonorae mutuas, inter *Poemata Svedo-Borussica* eiusdem Narssii, pag. 67. 72. & sequ.

b) *Alexander M.* raro utebatur munimento corporis, teste CURTIO lib. IV. cap. 13. §. 25. & VI. 8. 3. Ἀνὴρ ὁπλίτης δοῦλός ἐστι τῶν ὅπλων, EURIPIDES, *Herc. fur.* v. 190. *Luculli* dictum vide apud PLUTARCHUM, *Apophthegm.* p. 203. Tom. II. Op. & conf. LIVIUS lib. 37. cap. 42. VEGETIUS lib. 3. cap. 24. ut *Davidem* taceam, qui armis neglectis, Goliathum armatum, lapillo prostravit.

c) *GUSTAVUS ADOLPHUS cataphractas, quibus olim propter pondus impedita fuit omnis equestris militiae utilitas, abolevit.* SCHEFFER. *Memorab.* cap. VIII. §. 1. Loricis ex pelle alcium utuntur hodie, immo ex linteo vel serico, quod tegumenti genus in Sveciam induxisse primum Com. CLAUDIUM TOTT, post expeditionem ad Galliarum Regem, retulit olim Prof. AND. SPOLE, vid. Diss. de *Dario Duce*, pag. 27. Sed erant thoraces coriacei & lintei etiam olim in usu, vid. SUETON. in *Galba* cap. 11. NEPOS in *Iphicr.* cap. I. 4. OL. MAGNUS, lib. 8. cap. 8. fol. 84. immo vetustiores ferreis. vid. STEWECHII *Comment. ad Vegetii* lib. 2. cap. 25. p. m. 134. & HEINECCIUS de *Sigillis German.* pag. 202.

eum *inermem* vocat; non tantum fallitur, ſed ſibi ipſi etiam contradicit, enſem ei, & quidem magicum, tribuens. Atqui *gladius*, a *clade* ita dictus *d*), ut inter omnia inſtrumenta belli principatum obtinet *e*): ita, eo ſalvo, *inermis* dici Guſtavus non potuit. Quid ſpiritum heroicum loquar, Regio ſub pectore clauſum, & dextrae ſemper comitem? *Si animatus iero, ſatis armatus ſum*, inquit Accius *f*); nec mirum, nam *telo animus praeſtantior omni g*). Hoc telum, haec arma non vidit Aſtrologus, ergo Regem *inermem* fecit. At *illis* tamen *armis* Danos, Moſcos, Boruſſos, Sarmatasque adgreſſus, bella ſtrenue geſſit: *illis* Rugiam Pomeraniamque hoſtili oppreſſione liberavit, atque Wallenſteinium Balthici maris inhiantem dominio, fortiter repreſſit: *illis* Papae myſteria, Caeſariſque faſtum ac contumeliam fregit, & in laborantis Eccleſiae auxilium provolavit: *illis* Tillium, ingenti ad Lipſiam facta ſtrage, copiis & caſtris ſpoliavit; ſocio prius fugiente Saxone; ut intelligeretur, ſoli, poſt Deum, Svecorum Regi tantam victoriam deberi: his ipſis victricibus *armis*, Germaniam, quacunque patet, intra ſeſquiannum ſtupenda celeritate perrupit, quid? immo firmiſſimas ubique arces & caſtella, maximas urbes, integras provincias ſuo imperio, Vienna ipſaque Roma trepidantibus, ſubiecit: his, inquam, potiſſimum *armis*, contra omnes inimicorum inſultus, invictus ſemper in acie ſtetit, invictus

 tandem-

d) Mutato ſcilicet *c*. in *g*. M. TER. VARRO, lib. 4. cap. 24. de *Ling. Lat.* alii tamen cladem a gladio dictam volunt. Gladium tanquam *Guladium* a gula, nonnulli derivant, alii a κλάδος, alii a Gothorum *gloa* vel *glia*, ſplendere, ut STIERNHIELM, & NIC. SALAN de *Glad. Scythico*, p. 9. §. IX.

e) *In gladiis Mars eſt atrociſſimus*, LIVIUS, lib. II. cap. 46. Exempla eorum, qui *gladiis* contra pugnaciſſimos hoſtes, victorias reportarunt, vid. RICTERI *Axiomat. Polit.* 265. p. 574. & CAMERARII *Hor. Subciſ.* Cent. II. pag. 124.

f) Apud NONIUM. Hinc illud Graecorum: οὐ τὰ ὅπλα ἰσχὺς ἀνδρῶν, ἀλλὰ τῶν ὅπλων οἱ ἄνδρες. MAGIRI *Florileg.* pag. 230. & conf. *Svanhvitae* verba ad Regnerum, ipſi offerentis *gladium*, apud SAXON. lib. I. p. 23. ſequ.

g) OVIDIUS, *Metamorph.* lib. III. pag. 92. v. 8. T. II. Opp.

tandemque cecidit, nec cecidisset; nisi pestem adhaerentem lateri suo habuisset *b*), idque permisisset Deus; forte ut disceret mundus, in figmentum divinitatis pronus, hoc belli fulmen, hoc miraculum seculi, immortalia quidem praestitisse facinora, sed ipsum tamen fuisse mortale *i*). De cetero observari meretur, *Morino* huius impudentiae, ac tot con-

b) Conf. inter alios PUFENDORF, de *Rebus Svecicis*, lib. 4. §. 63. p. 83. & DRYSELII *Monarch Spegel*, pag. 450. In *Nucleo Historiarum*, Witteb. 1659. pag. 317. scribitur, paulo ante pugnam Lutzensem, a Virgine quadam Bohemica monitum fuisse Regem, ut sibi caveret; adesse enim in eius Comitatu, qui vitae eius insidias struerent. At singulare est, quod de Card. Richelieu, & obsessa quadam foemina retulit *Marquis de Serteau.* Exscribi vetat prolixitas, habetur autem MS. in *Actis* nostris PALMSCHOELDianis. Haec tantum pauca accipe: *Tå frågar Cardinalen den orena, hwadan han kommen war? Han swarade: vtur dens lif, som du har skickat til at skiuta ihiel Konung Gustav Adolph.* Magna sane erat Gallorum invidia, de qua *Pufendorf.* l. c. p. 84. b. §. 65.

i) Hoc praevidit gloriosiss. Rex ipse, & aegerrime tulit honorem prope divinum sibi deferri, Germanis dicens: *Veneramini me, maiestatis divinae obliti; facietis autem hoc ipso, ne vobiscum diutius in terra manere mihi liceat.* Et Fabricio suo, tertio ante mortem die, Naumburgi dixit: „Jag förjer „deröfwer, at hwar man så swåra „venererar mig, likasåsom en „Gud. Gud warder oss derföre „en gång straffandes. Men Gud „är mitt wittne, at en sådan förmåtenhet och galenskap behagar „mig intet, &c. Habentur haec Latine in *Armis Suecicis* ad An. 1632. p. 40. conf. etiam SCHEFFERI *Memorab.* cap. XX. §. 6. & XV. §. 5. LOCCEN. *Hist. Svec.* pag. 606. & incomparabile illud *Vale*, quod in Comitiis A. 1631. d. 20. Maii regni Ordinibus dixit. Fragilitatis ergo humanae, & suae mortalitatis omnino memor Gustavus fuit; quod addendum putavi contra OGERIUM Gallum, qui in *Itin. Polon.* pag. 292. scribit, *Regem vulgo iactasse apud suos, vix esse, ut Reges ulli in praeliis caderent, nec id fieri solere.* Mentitur more suo, item dum gloriatur, se Holmiae *calcasse foetidum & deforme cadaver Gustavi.* Ibidem & pag. 159. *Itin. Svecici.*

convitiorum aliam caussam non fuisse, quam ut artem suam & astrologos Principibus tanquam summe necessarios: & periculorum omnium averruncos, commendaret *k*).

§. VII.

Iam *gladium* ipsum contemplemur, qui *magicus*, nec nobis admodum reluctantibus, existimatur. Duo autem hic consideranda veniunt, 1. *ferrum* & 2. *characteres* ferro impressi. Ad prius quod attinet, *Damascinum chalybem* id vocat Morinus, rectene an secus, ignoro. Admiranda quidem huius materiae vis esse perhibetur, teste etiam famoso illo Scanderbegi acinace, quo tot millia Turcarum, uno eos ictu per medium dividendo, iugulavit; quamvis id caedentis potius, quam ferri viribus adscribendum sit *a*): sed nullus hic magiae locus. Novimus enim *damascenos* gladios, ab urbe Syriae *Damasco* ita dictos, arte naturali, licet singulari *b*), confici; quemadmodum varios dari praeterea modos, quibus purgari soleant metalla, partibusque in se coactis, solidari, verbis ostendunt scriptores varii *c*): opere autem ipso passim demonstrant Vulcani filii, Lycaonisque fratres *d*). Nam praeter nativam ferri bonita-

 tem,

k) Hic enim scopus totius libri est, & clarissime patet ex ipsis eius verbis, pag. 401. a. *Evidentissimum ergo est* &c. ubi *Deum excoecasse Gustavum* dicit, *nec dedisse illi Prophetas vel Astrologos.*

a) Id quod ipse dixit Castriota, Muhammedo Imp. respondens: *Gladium tibi misi, non humeros simul, brachia & manus, quibus uti illo soleo*, KORNMAN. *Mirac. Vivorum*, pag. 248. & qui res gestas eius descripserunt, Mart. BARLET, & Georg. Bartold. PONTANVS.

b) Dicunt stomoma in scobem redactum deglutiri ab anseribus, redditumque conflari in massam.

c) Praeter PLINIVM, Io. Bapt. PORTA, *Mag. Nat.* lib. 13. Ant. MIZALDVS, *Memorab.* Cent. 4. & 8. SALMVTH ad *Panciroll.* Part. I. Tit. 13. Refert quoque CARDANVS lib. 7. de *Subtilit.* Galeatium Rubeum Mediolan. tanto artificio ferreos thoracas indurasse, ut plumbeis glandibus resisterent.

d) VIRGIL. lib. 9. *Aeneid.* de ense Ascanii: *Mira quem fecerat arte Lycaon Cnosius.* A me impetrare nequeo, quin hoc loco mentionem faciam STOLII, celebris

tem, quae non omnibus terris eadem, non parum interest, cuius artificis manu elaboretur. Vtroque nomine insignes esse gladios *Svetbicos* nemo nostrum ignorat, eos praesertim, qui laminis *Viraënsibus* constant, non ignobiliores certe vel ensibus Gallicis vel Hispaniensibus, quos tantopere celebravit antiquitas *e*). Ob acuminis praestantiam priscis quoque laudabantur gladius Biarconis vocatus *Loevi*, Wermundi *Skrep*, Haldani *Liusing*, *Huiting*, *Snytir*, &c. *f*), Arthuri Regis Britonum ensis *Caleburnus g*), & Rolandi *Durenda* vel *Durandalus h*). Hi vero omnes an daemoniaca arte fabricati dici possint, ambigo; cum sola durities, vel scindendi facilitas certum magiae argumentum esse nequeat, ut iam ostendimus. Ex electro tamen

apud Lipsienses Chymici, quem plurimi Principes ac Reges, immo gl. m. CAROLVS XII. aditu suo ac praesentia dignati sunt. Novit ille varias artes purgandi variandique metalla, ut novam quasi formam naturamque induant. Inter alia, vidi *gladium* vel acinacem ab eo confectum, levissimum quidem, erat enim introrsum vacuus; sed ut malleo cum percussit ferreo, supra quam dici potest, vocalem. *Terribilem stridore sonum dedit*, ut ait OVID. lib. 12. Metam. & non dubito, quin campanae vicem in oppidulo supplere possit. Addidit Auctor, se huic parem, desiderante Rege Frid. Augusto, post multas curas vigiliasque, fabricasse, & mercedem laboris M. Imperiales reportasse; occasionem vero & caussam commissi negotii fuisse archetypon, ex castris Imperatoris Turcici a Razivilio Principe captum olim & deportatum in Poloniam.

e) De *Gallicis* vid. IVL. POLLVX, lib. I. cap. 10. art. 13. de *Hispanicis* POLYBIVS libro VI. & T. LIVIVS lib. VII. cap. 10. XXXI. cap. 34. item DIODOR. SIC. *Rerum antiqu.* lib. 5. p. m. 145.

f) Vid. SAXO GRAM. lib. II. p. 31. lib. IV. p. 64. lib. VII. p. 135.

g) HOVEDEN in Richardo I. & SIGEBERT. Gemblacens. apud CAMERAR. *Hor. subc.* Cent. I. p. 350. & II. p. 122. KORNM. *Mirac. Viv.* p. 254.

h) In *Carl Magnus Saga* apud REENHIELM ad Thorstan. p. 86. GIRALDVS in *Chronogr.* & CAMER. l.l. cit. dictum ita volunt nonnulli a *duritie;* sed rectius forsan scribitur *Dyrendal*, vel *Dyrumdal*, SALAN de *Glad. Scyth.* cap. 2. pag. 68.

men magico, h. e. Vulcano Physico, confectum fuisse ensem illum Rolandi credidit BVRGGRAVIVS, cui, praeeunte Theophr. Paracelso, tantam virtutem tribuit; ut arma exinde, a fabro martialiter disposito, cusa hostes non tantum fascinatos & imbelles, sed militem etiam illis indutum reddere possint invulnerabilem *i*). Haec si nihil ultra, superstitionem saltim infandam sapiunt. Idem esto iudicium de iis, qui gladiis, sub certa siderum constitutione factis, coelestes influxus, viresque supernaturales includere se ex arbitrio posse iactitant *k*). Et ex horum officina prodiisse etiam praesentem, qui GVSTAVO ADOLPHO tribuitur, *gladium*, imagines ei insculptae testari videntur.

§. VIII.

Imagines heic seu *characteres* sunt triplicis generis: 1. Ordinarii, 2. Astrologici, & 3. Magici.

1. *Ordinarios* voco quibus integrae componuntur voces, quae & legi & intelligi possunt. Omitto autem, quae a superiori laminae parte occurrunt, ista *vincere aut mori*, atque *inter arma silent leges*, cum suis aviculis & ornamentis; sunt enim vulgaria fabrorum additamenta, ubique obvia. Ast verba mucronem versus exarata penitius inspici merentur. In Lipsiensi gladio extat ab una parte: *Gustavus Adolphus Swecus*, quae orthographia minime natione Svecum auctorem habet: multo minus credere fas est, Regis ipsius iussu, nomen eius ferro adpositum esse, quod fieri vix patietur infimus miles. In Parisiensi non Swecus, sed *Rex Sveciae* legi testatur Morinus, alibi *Rex Svediae*; nam dari etiam in ensibus variantes lectiones,

i) In *Achille redivivo*, de quo conf. NAVDAEVS, *Stud. milit.* lib. 1. pag. 383. sequ. & MORHOFIVS, *Polyhist.* Tom. II. p. 308.

k) In *eiusmodi artibus pars Magiae superstitiosae non minima consistit*, iudice ipso MORINO, lib. XX. Sect. 4. cap. 8. ubi ab influentiali corporum coelestium impressione sola arte facta excipit.

ctiones, hoc exemplum probat. Loquemur de iis deinceps, ubi maioris ponderis res & argumenta producentur. Illud ab altera parte: *Audaces fortuna iuvat*, cui debeatur notissimum est, scilicet VIRGILIO *a*), qui tamen *audentes* ponit, h. e. generosos viros & intrepidos. Abiit deinde in maximorum Heroum symbolum, in proverbium & axioma Politicum *b*); neque Gothis nostris ignotum, qui eandem sententiam hoc modo reddiderunt, & commendarunt Principibus: *Giärnt fylge lykka gode nänno c*). Si igitur haec Poëtae verba, in Christianum sensum accepta, gladio suo inscribi fecisset R. Gustavus, quod tamen nunquam fecit, certe nil mihi videtur commisisse vitii, vel saltim longe minus, quam dum Maximilianus pudendum istud & idololatricum symbolum suo ensi insculpi curavit: *Maria iuva nos omnes.* Videatur PECHLINVS *d*).

2. *Astrologici* characteres dicuntur Planetarum & signorum coelestium notae, inter quas, in praesenti gladio, eminent imago *Solis* & character *Martis*, stillantibus inde, magna copia, guttis, vel, ut Morino placet, lacrymis. Cur non scintillis? Lacrymare enim sidera nemo, praeter hunc Gallum, facile observavit. In clypeo Achillis & Solem & Lunam, aethera cum stellis, & *μέγαν περιηγέα κόσμον* deprehendimus; ut dubium sit, artificiosius ea sculpserit Vulcanus, an descripserit HOMERVS *e*). *In amuletis*, inquit SCHEFFERVS *f*) *peculiariter observatum, ut*

a) *Aeneidos* lib. 10. p. m. 365.

b) Videatur DIDAC. SAAVEDRA in *Symbolis Polit.* No. LXXXVII. pag. m. 718. sequ.

c) *Kununga ok Höfdinga Styrelse*, Membr. VII. §. 23. conf. ibi notas SCHEFFERI.

d) In *Consultatione de optima Christianorum secta*, seu *Prodromo religionis medici*, pag. 47.

e) *Iliad.* Σ. v. 483. & sequ. ubi vide SPONDANI *Comment.* pag. 344. sed brevius apud Q. V. CALABRVM, *Paraleipom.* lib. 5. p. 319. & RHODOMANNI *Periech. Hom.* 18. p. 52.

f) De 3. *Orbibus aureis*, pag. 84.

ut exprimerentur signa quaedam Zodiaci; nec mirum, cum tantus perhibeatur Astrologiae & magiae nexus, ut haec sine illa esse omnino nequeat *g*). Et ob hunc abusum sine dubio factum est, ut *Astrologi*, lege tam divina quam humana, olim fuerint interdicti. Quid vero significent sigillum ☉ & ♂, ad mentem astrologomagorum, legi potest apud CIGOGNAM *h*).

3. De *Magicis* literis, utrum vere tales sint, an in magiae tantum speciem effictae, quod dicam nihil habeo; sunt enim & Morino, & nobis *ignorabiles*. Arma pugilum symbolis magicis olim signata fuisse, in superioribus observatum est *i*); & singulis daemonibus suos tributos esse characteres, invenimus *k*), quos tamen non omnes eodem modo, sed quisque pro suo arbitrio, efformabant. Eos, qui in *Lipsiensi gladio* occurrunt, contulimus cum sigillis spirituum & elementis magicis monstrosisque, quotquot videre licuit *l*); sed levem admodum

g) Hinc astrologia *Magiae clavis* appellatur, & nullum magicum opus sine siderum operatione confici posse, creditur, vid. R. Mose ben MAIMON, in *More Nebochim*, lib. 3. cap. 37. Henr. Corn. AGRIPPA, *Philos. Occulta*, lib. 2. cap. 53. & de *Vanitate Scient*. cap. 41. MORINVS in *Praefat. Apologet*. pag. 19. & 30.

h) *Magia Omnifar*. pag. 447. sequ. lib. 4. cap. 1. ubi circa eiusmodi characteres veterum superstitiosorum deliria pluribus notat & convellit.

i) Cap. 1. §. 9. & not. g. conf. etiam VERELII Notas ad *Hervar. Saga*, pag. 101.

k) Vid. inter alios STEPHANIVS ad Saxon. p. 46. a.

l) e. g. PETRI de ABANO apud *Agrippam* de Occult. Phil. lib. 3. cap. 29. & pag. 455. sequ. ARTEFII apud *Hier. Cardanum* de Rer. Variet. lib. 16. c. 91. p. 312. Tom. 3. Opp. aliisque in *Clavicula Salom*. & apud GAFFAREL. *Curios. Inaud*. BANGIVM in *Coelo Orient*. apud RVDBECKIVM, *Atlant*. Tom. III. p. 255. ubi *Ensis* ille vel culter, ignotis characteribus inscriptus, & pag. 253.

modum vel prorſus nullam harmoniam deprehendimus. Dum ita haeremus, ecce! adeſt *Oedipus*, lynceus ille KIRCHERVS, nobis utique iam audiendus; niſi brevi ſe rediturum promitteret. Proinde *τὸ νῦν ἔχον πορεύȣ· καιρὸν δὲ μέταλαϐὼν μετακαλέσομαί σε.*

§. IX.

in orbiculari illa figura, de qua, data heic occaſione, obſervamus, illam eandem omnino eſſe pateram, quae Romae effoſſa, & ab Illuſtriſſ. Senatore Regni Dn. Barone CRONSTEDT communicata, conſpicitur in ACTIS *Liter. Sveciae* An. 1721. pag. 208.



DISSERTATIO SECVNDA

DE

GLADIO MAGICO GVSTAVI ADOLPHI SVECORVM REGIS

QVAM

PRAESIDE

GEORGIO WALLIN, FIL.

S. THEOL. D. ET REG. ACAD. VPSAL. BIBLIOTHECARIO,

IN

AVDITORIO GVSTAVIANO MAIORI

D. XV. MARTII A. MDCCXXIX

PVBLICO EXAMINI SVBIECIT

OLAVS DECKBERG,

VPLANDVS.

L. B.

Vt ratio haberetur ſumtuum, *Partem* huius Apologiae *Poſteriorem* dividere nobis viſum eſt. Quae ex Capite *Secundo* reſtant, praeſens Diſſertatio complectitur: brevi vero V.D. totum Caput *Tertium* ſequetur, productis ſimul in lucem Auctoribus fabulae. Interea applicare huc liceat illa Ivdic. Cap. VII, 20. & Ierem. Cap. L, 36.

חרב ליהוה ולגדעון


חרב אל הבדים ונאלו׃

Hoc eſt,

Gladius IEHOVAE & Gideon.


Gladius adverſus MENDACES, ut ſtulteſcant.







I. N. I.



§. IX.

Tandem prodeat ATH. KIRCHERVS, de quo magnifica nobis promittit eius in re literaria & ordine socius GASP. SCHOTTVS *a*), dum scribit, eum *non tantum Aegyptiorum mysteria fuisse interpretatum; sed pari etiam dexteritate Graecorum secreta, Gnosticorum periammata, Cabalistarum arcana, Arabum phylacteria, Saracenorum alexipharmaca, Impostorum denique omnium characteres, signa, nugas, superstitiones, fraudes.* Et post pauca addit: *Dici vix potest, quot inscriptiones sacrae, profanae, superstitiosae, magicae ac diabolicae etiam, in templis, palatiis, coemeteriis, sepulcris, lapidibus, libris,* GLADIIS, *cultris, statuis, numis, gemmis, amuletis incisae aut inscriptae, fuerint ad ipsum ex omnibus orbis totius partibus allatae, ut interpretaretur.* Nihil quidem in Kircheri operibus de praesenti *Gladio* hactenus reperire potuimus: at MSS. PALMSCHIOELDiana Bibliothecae nostrae Upsaliensis evolventibus nobis narratio quae-

 dam

a) Vide *Propylaeum Oedipi Aegyptiaci*, cap. V.

Ad Pag. 47.

Audaces Fortuna iuvat

Gustavus Adolphus
Rex Sueciæ

dium & notas ipsi impressas, sistens, aerique incisa Holmiae A. 1709. a sculptore *Ioh. Spigelberg*, incertum qua occasione, cuiusque suasu vel auctoritate. Illam vero denuo exsculpi, & posteriori huic Dissertationis parti praefigi curavimus; ut eam cum priori schemate Lipsiensis gladii conferre Lectores possint, videantque characteres plane eosdem esse; sed praeter capulum, deesse etiam hic nonnulla a superiori parte laminae, & in mucrone titulum Regis differre. Interea, relatione & verbis infra adductis persuasi facile crederemus, *Aquensem* illum gladium Borilli eundem esse cum eo, quem *Parisiis* vidit ac descripsit Morinus; nisi hic verba illa adiecisset: *timidosque repellit*, quae in Aquensi non comparent.

§. X.

Audivimus itaque *Kircheri* de Gladio Gustavi II. commentarium, duabus constantem partibus, 1. explicatione characterum, & 2. calumniis in augustissimum Regem, quem istius ensis dominum lubens credidit, quamvis id dissimularet. Ad *illam* quod attinet, verane sit an falsa, in suspenso relinquimus. Cavendum tamen, ne Kirchero per omnia credamus; fuit enim homo nimium procax, quique dominium decifratoriae, quam vocant, artis sibi unico arrogare voluit; sed quam dubiae fidei, & in reddendis oraculis saepe infelix, cippi nostri Runici *a*); inter alia, abunde testantur. Quod secundo concernit *calumnias*, noli L. B. mirari; quid enim, quaeso, aliud a Iesuita exspectasses? Ab uno iam extremo progredia-

indubitanter se impetraturum arbitrabatur. Atque haec est summa sensus horum characterum magicorum, reliqua vero particularia, cum ad aedificationem non sint, silentio supprimenda existimavi. Hactenus narratio illa, cuiuscunque sit auctoris. At *supprimere* etiam priora potuisset *Kircherus*, nec enim maiorem ibi video *aedificationem*; Est tamen hoc consuetum ipsi effugium & ignorantiae latebra. Conf. *Oedip. Aegypt.* Tom. III. p. 38. & alibi passim.

a) Vid. *Epistolas* FRAN. de NIGRIS ad b. m. Io. Schefferum datas Romae A. 1669. &c. & Prof. MAGNI CELSII *Oreades Helsing.* Cap. 8. p. 39. seq.

grediamur ad alterum, a probris ad elogia; nam varietas delectat. Tempore, quo CHRISTINA, Magni Gustavi filia, imperii Sveo-Gothici fasces adhuc tenuit, Stokholmiam venit nobilis quidam Gallus, dictus DE CERISANTES, ibique prolixum carmen in *Gustavi Adolphi Ensem*, Aquis Sextiis asservatum, Latino idiomate, evulgavit *b*), praemissa ad Augustam ampla dedicatione. Carmen ita incipit:

Te ne igitur Borillus habet, te nobile ferrum,
Quod comes assiduum GUSTAVI ingentibus ausis
Haerebas etiam dextrae, quum repperit illum
Exanimem, & multa laceratum caede cadaver
Turba gemens Procerum?

Post enumeratas longo ordine victorias, hostiumque strages hoc, ut dicit, peractas ense; post Regis memoratam mortem, hoc modo pergit:

Nunc, quando aeternam quaeris post talia pacem
Exutus capulo, ne quis te in proelia ferre
Auderet posthac (neque enim dignabere, credo,
Iussa aliena pati dexteramque armare minorem)
Hic tibi parta quies per saecula longa manebit,

Hinc videmus gladium Aquensem capulo destitui, & deinceps indicatur, eum etiam carere vagina: *Tibi nuda acies, & squallida tabo.* Equidem splendida sunt haec omnia, & quae sequuntur

b) Plenus Titulus hic est: *Carmen in Gustavi Adolphi Succor. Goth. & Vand. Regis invictissimi & semper triumphantis Ensem, qui post Domini mortem in Galliam delatus, Aquis Sextiis in Borilli cuiusdam Arcano, variis naturae & artis miraculis referto, summa cum veneratione asservatur.* Auctore M. de Cerisantes Nobili Gallo, *Holmiae Typis Petri a Selow.* Videtur Auctor idem fuisse ac ille *Marcus Duncanus Cerisantes*, qui R. Christinae Legatus erat in Aula Gallica, de quo MORERY Tom. 2. p. 99. BAILE pag. 872. sequ. in suis *Lexicis Histor.* & MENAGIANA Tom. II. p. 292. seq. IV. p. 39. Poësis eius ubique laudatur, sed hoc carmen omnes ignorarunt.

tur *c*), si voces & verba spectes; sin rem, inanes pompae. Quippe non est, ut de tanti Herois gladio glorientur *Aquae Sextiae*, *Borillus* & *Cerisantes*. Notetur etiam Poëtae astutia. Vt enim Reginae fidem eo citius ac gratiam extorqueat, characteres omnes suspectos & magiae indicia tacet, tacet perversa Civium suorum iudicia, eaque transformans in encomia, ferrum *nobile* vocat, quo nihil spurium magis est atque ignobile; *invictum*, quod fallax fudit invidia, ad minimum ictum, in mille particulas disrumpendum.

§. XI.

Paucos omnino in hunc diem conspicere nobis licuit, qui tanti criminis indignitate permoti, contra eius auctores, pro gloria incomparabilis nostri REGIS, insurrexerunt. Forte quia tam atrox fama intra Romanae religionis pomoeria tutius delitescens, erumpere in publicum, & auribus Evangelicorum obstrepere minus audebat; vel quia hi aut rumoris contemtu, aut testimoniorum defectu, aut otii temporisque penuria, aut alia quapiam de caussa, Principis, praesertim alieni, famam defendere, minus duxerunt necessarium. Ii tamen, ad quos fabulae notitia perrepsit, quique eam, levi licet brachio, & paucissimis verbis impugnarunt, hic nominandi veniunt, quotquot novimus. Primus sit vir πολυμαθέστατος, & quem vix quidquam in orbe fugere potuit, DAN. GEORG. MORHOFIVS. Hunc enim verba, non quidem Morini, at in Morini tamen vita, de *gladio Gustavi* occurrentia, & supra a nobis producta *a*), legisse

c) Tandem, ubi solicitudinem Borilli descripserat in eligenda ipsi commoda atque digna sede, & quidem inter *lapides fulmineos*, ita claudit:

Haud Gladio coeleste genus: sed gloria maior
Mortali micuisse manu, totiesque rotatum,
Et formidanti iactantem fulgura mundo,
Vnum mille pares vestris fecisse ruinas;
Necdum etiam posuisse iras, sed caede rubentem,
Nunc quoque tam placida compostum pace, minari.

a) Cap. 2. §. 1. pag. 102. seq.

legisse constat: constat legisse occupato aliis rebus, suspenso ac fluctuanti animo *b*): *Fabulantur quoque de gladiis, sub certis constellationibus fabricatis, quibus miracula praestari aliqui posse credunt. In vita Ioh. Bapt. Morini Astrologi, quae* Astrologiae Gallicae *eius praefixa est, refertur, talem habuisse gladium Gustavum Adolphum, Regem Sveciae, quem Morinus ab aliquo sibi venditum emerit; quae ego tamen mendacia esse existimo.* Morhofio succedat IOH. FAES *c*), cuius haec sunt verba: *Quibus accensendum mendacium de literis Talismanicis ensi Gustavi Adolphi inscriptis, quarum virtute, tanta tantorum gestorum gloria inclaruerit, prout Auctor de Secta Christianorum pag.* 46. *refert*, &c. *Quod tamen pridem refutatum ivi in Observationibus Historico-Politicis in Invitationem meam Panegyricam fol.* 19. Observationes istas *Faesii* videre mihi nondum contigit, credo tamen verba potissimum Pechlini, quem citat, esse ibi repetita. Ergo iam tertio loco audiendus nobis est IOH. NICOL. PECHLINUS, Duci Cimbriae a Consiliis & Archiater, qui aliquandiu sub larva *Iani Philadelphi* latere voluit. Sic autem ille *d*): *Insultant Pontificii gladio Gustavi Adolphi Regis, fortunamque omnem, quae vivum comitata est, figuris imputant Talismanicis, pertracto quoque in eam sententiam Gaffarello Gallo, rerum alias abstrusarum atque inauditarum vindice: sed Morinus & ipse Gallus, fictam esse a malevolis inscriptionem in magno illo Astrologiae Gallicae opere demonstravit.*

b) Conf. *Polyhistor* eius Tom. II. pag. 359. & p. 458. *Refertur*, inquit, *& in vita I. B. Morini*, *quae* Astrologiae *eius* Gallicae *praemittitur*, de gladio Gustavi Adolphi, R. Sueciae, *quod iisdem signis Talismanicis fuerit insignitus, qui demum in manus Morini inciderit, cui ille tam fortia facta adscribere non veretur. Quod ego quidem credere non ausim; puto enim, potius subornatum esse aliquem, qui id venditaret, ut invidiam aliquam* Gustavi Adolphi *nomini contraheret.*

c) In *Anatome Bullae Iubileae Papae Innocentii XII.* Helmst. A. 1702. pag. 12.

d) In *Consultat. de optima Christianorum Secta*, &c. pag. m. 48. Recusa est inter eius *Opuscula Selecta*, Hamb. 1709. 8. ibique verum nomen *Pechlini* exprimitur.

vit. Certe enim, quod his ipsis oculis vidi, nihil aliud caelatum una parte gladii legi, quam constantes fortuna iuvat: *& altera*, nec temere nec timide; *moderata sane & quam pia symbola!* Quis aut ubi terrarum fuerit ille Gladius, quem se vidisse heic adserit Pechlinus, nulla arte expiscari potui: verum ad testimonium Morini cur provocat? Certe, aut Morinum nunquam legerat, aut ovem tradere voluit defendendam lupo. Ex Nostratibus unum vidi Gladii R. Gustavi mentionem fecisse, auctorem videlicet Dissertationis de *Vanitate Astrologiae iudiciariae*, sub praesidio b. m. Prof. NIC. CELSII habitae *c*); ita tamen, ut uno tantum vel altero addito, verba Morhofii modo allegata, ὡς ἐν παρόδῳ, repetantur. Haec igitur res tantique momenti cum fere per seculum ignota partim iacuerit, partim deserta, vel saltim leviter tacta; favete iam, quotquot futuri estis, *Lectores Benevoli*, rite propulsaturis, iuvante Deo, iniuriam: favete, quaeso, & aequissimis Vestris suffragiis subvenite piam hanc & iustam immortalis Regis apologiam molientibus. Tanta vero nobis heic sua sponte occurrit argumentorum vis ac multitudo; ut cum omnia in aciem quasi producere, immensi esset laboris pariter ac superflui, quaenam praecipue seligenda sint, laboret animus.

§. XII.

ARG. I. Agmen ducat omnium virtutum princeps, tanto certe admirabilior, quanto maior erat in Principe. *Pietas* illa dicitur; quam qui GVSTAVO ADOLPHO denegare sustinet, eum summae & proiectae impietatis esse oportet. Nam minime ex eorum numero erat, qui obtundi religione bellicam virtutem existimant, & profligata ex castris tanquam

G 2 peste,

c) Vpsaliae A. 1721. pag. 45. Operae pretium fecisset quoque Auctor, si consuluisset ipsum *Morinum*, eiusque Responsiones ad argumenta Theologorum, IConsultorum, Medicorum & Philosophorum, praecipue *Ioh. Pici de Mirandula, Sixti ab Hemminga, & Alexandri ab Angelis*, qui acriores sunt Astrologiae iud. hostes. Nam merentur sane refutari contra eos Exceptiones Morini.

peste, omni sacrorum coelitumque reverentia, totum potius Acheronta in vota exciunt, dirisque in se, in milites, in arma & iumenta coniectis, temere proelium inchoant, temereque terminant. Docuit ille suo exemplo, vanam esse LVCANI *a*) vocem: *nullam inesse pietatem viris, qui castra sequuntur.* Quippe pietatem foris quam domi, in castris quam in templis aeque coluit, non minor theologus quam miles, ipsamque nostram Eusebien, ut Ethnicorum Pallas pingitur, armatam incedere credidisses. Profecto τῆς αὐλῆ πρὸς Θεὸν ὁσιότητος ἄλεκτος ἡ διάθεσις *b*). Scio tamen nullum unquam negotium, nullum iter, nullum certamen nominari posse, quod sine divini praesidii imploratione, ab eo susciperetur. Flexa patenti campo & clara luce, genua, defixi in coelum oculi, compressae ad devotionem manus, suspiria vocesque pietatis plenissimae, quotiescunque aut pugnae subeundum discrimen, aut parta iam victoria erat, fugere neutiquam potuere tot oculorum auriumque millia: nec defuere, qui singula annotarunt, posterisque consignata literis tradiderunt *c*). Complevit igitur opere, ac verum

a) Libr. X. *Belli Civil.* v. 407.

b) Quod perperam de *Epicuro* dicit DIOGENES LAERT. Lib. X. pag. 269. Notanda hic est iniuria MANDEVIELDI, qui auctor habetur libri, *Pensées libres sur la Religion;* nam pag. 270. Tom. II. dicit R. Gustavum favisse Syncretismo: *L'intrepide Roy de Suede, Gustave Adolphe, fit dans son tems tous les efforts imaginables pour les* (Sectateurs de Luther & Calvin) *reünir: mais il y perdit ses peines.* Contrarium vide apud IAEGER Hist. Eccl. & Pol. Tom. I. pag. 488. Item Dn. P. Sebast. EDZARDI in der *Widerlegung des nichtigen Vorgebens, als ob die Reformirten sich so wohl als die Lutheraner zur ohnveränderten Augspurgischen Confession bekenneten*, pag. 6?. 64. & Esdr. Henr. Edzardi, *Schwed. Kirch. Geschichte* pag. 33. §. 13.

c) Ex. gr. cum A. 1630. d. 25. Iunii, quo die Iubilaeum August. Conf. celebrabatur ab Evangelicis, in litus Rugiense descenderet, in genua prostratus, palam oravit. Vid. *Theatr. Europ.* Tom. II. pag. 236. LOCCENIVS, *Hist. Suec.* Lib. VIII. pag. 569. Ipsas preces & singula verba *Panegyrico* suo subiunxit DAN. HEINSIVS, in versus vero redegit ANT. GARISSOLIVS

rum esse docuit, quod ore volutabat symbolum: *Ie mehr betens, ie mehr sieges*, hoc est, *quo plus pietatis, eo plus felicitatis in bello fore d)*. Tanta, inquam, erat Regis nostri pietas, tanta

Lib. V. *Adolphidos*, ab initio. Anno 1631. d. 7. Sept. in agro Lipsiensi, parta victoria, cum commilitonibus in genua provolutus, *Te Deum laudamus*, clara voce cecinit. Scilicet

Non sibi, sed Domino tribuebat
cuncta Trophaea,
Non minor ut PIETAS Prosperitate foret.

Io. DEVTSCHMAN in *Carmine* ad Iachesium A. 1632. die 6. Nov. in campo Lützenensi, priusquam in hostium phalanges irrueret, voce maxima exclamasse auditus est: *Iesu, Iesu, suppetias mihi fer, hodierno die, pro tui nominis gloria & ecclesiae tuae salute pugnaturo. Amen, o Iesu, Amen.* Conf. LAVR. LVDENIVS in *Immortalitate R. Gust. A.* & Parentationibus Anniversariis 1638. & 1640. Dorpati habitis. Hic enim diligentissimus Vir singulis XII. annis, a 1636. ad 1648. die 6. Nov. laudes illius Regis, Oratione partim ligata, partim soluta, celebravit. Observari quoque meretur, ante eandem illam pugnam *Hymnum* quendam ab ipso Rege Gustavo Adolpho compositum fuisse, & publice coram tota acie, concinentibus buccinis, decantatum, cuius exordium hoc est:

Verzage nicht du Häuflein klein,
Ob schon die Feinde in willens
seyn
Dich gäntzlich zu verstören, &c.

Tribuitur quidem haec Cantio in Hymnario Germanico, nobis No. 653. *M. I. Altenb.* sed addidit forsan duos postremos versus, priores enim tres ex ore ipsius Regis excepit D. Iacob. Fabricius. Vid. WOLIMHAVS XII. *Lutherische Kirche*, pag. 303. sequ. Versio Suethica a quodam P. O. facta, hoc modo incipit:

Förskräcks ej här du ringa Haer,
Fast din fiende sinnad ær
I grund dig at vtrota;
Och söker stadz din vndergång
För hwilket dig ær ångst och
ång,
Gud Lærer sadant bota.

d) Vid. de hoc & reliquis KHEVENHILLER, *Annal. Ferdinand.* Tom. XI. pag. 1305. sequ. & Tom. XII. p. 190. ELLERS *Swedischer Lorbeer-Zweig*. Conr. FRIEDLIEB de *Bello & re militari*. SCHEFFER *Memorab.* p. 6.

tanta in Deum ſpes eius & fiducia. Et hic ipſi murus ubique aheneus: hic adamantinus thorax: hoc ſcutum omni Aegide praeſtantius: haec

Optima cuſpis in hoſtem e).

Proh Superi! quantum committunt nefas, qui hunc murum evertere, his armis ſpoliare Regem; magicum vero & ſceleratum ferrum ipſi in manus tam ſacras ſubſtituere audent?

§. XIII.

ARG. II. Vt nullum unquam orationis genus eſt tam divinum ac ſplendidum, quod incluti huius Ducis virtutibus meritisque convenire poſſit: ita *magnanimitatis*, bellicaeque, quae in eo enituit, fortitudinis laudem nemo digne ſatis celebrabit. Adumbrarunt tamen eam, praeter Hiſtoricos, Templorum Antiſtites, & Academiarum Tullios, ex noſtratibus viri illuſtriſſimi STENO BIELKE & IOH. SKYTTE in Orationibus ſuis exequialibus, Guſtavo M. dictis. Domeſtica vero ut tranſeam, abundamus ac diffluimus exterorum, omniumque ferme gentium ac nationum teſtimoniis *a*); & exſtat adhuc Hymnus

Theatrum Europ. ad A. 1630. Bogisl. Ph. CHEMNITZ. *Bell. Sveco-German.* Part. I. p. 55. *Arma Svecica* ad A. 1630. pag. 77. & ſequ. & ad A. 1632. pag. 37. ARNOLD *Kirchen- und Ketzer-Hiſt.* Part. II. p. 436. IAEGER loc. cit. pag. 459. & 511. Erat etiam Guſtavi Symbolum: *Gloria Altiſſimo Suorum Refugio.* PAVLIN. *Hiſt. Arct.* pag. 363. aliud vide infra §. XIV.

e) IOLLYVET, *Fulm. in Aquilam* pag. 124.

a) Inter haec eminent certe Ioh. FREINSEMII *Panegyricus* A. 1632. in 4. Matthiae BERNEGGERI *Laudatio funebris Guſtavi M.* Argentor. 1633. 4. Io. Conr. DANNHAVERI *Oratio Panegyr.* ob Victoriam Lipſienſem, Argent. 1632. 4. Mich. VIRDVNGI *Alexander Novantiquus*, Altorf. 1633. 4. Marc. Zuer. BOXHORNII *Heptaſtichon.* Aug. BVCHNERI *Saxonia Liberata*, excuſa Lugd. Bat. 1634. in fol. una cum Principis GVSTAVI, Suecorum Regis Filii Oratione gratulatoria Wittenbergae habita d. 7. Sept. 1632. SPANHEMII *Soldat Suedois*, à Roven

Hymnus sacer, in ecclesiis olim Misnicis post Regis mortem publice cantitatus. Quot ibi verba, tot lacrimae, tot singultus ac threni, quibus non mortales modo, sed ipsum etiam immortale Numen doloris sui desideriique exquisitissimi, simul ac Gustavianae virtutis, testes implorarunt *b*). Nec tamen hoc sufficit. Quot egregias publicasque voces vel ipsis Religionis Evangelicae & armorum Svethicorum inimicis expressit veritas? Audiamus Caesarem FERDINANDVM II. *Er* (der König in Schweden) *ist ein tapfferer Fürst, und erfahrnes Kriegs-Haupt c*). Proximus tunc a Caesare, WALLENSTEINIVS, Dux

1634. Iani GEBHARDI *Oratio in Victoriam Lips.* edita Groningae 1632. in 4. Pierii WINSEMII *Oratio in Gustavum II.* excusa in Frisia A. 1633. fol. & quem primo loco nominare debui, DAN. HEINSII *Panegyricus*, Lugd. Bat. 1632. 4. dictus Scheffero nostro *incomparabilis* in Notis ad Hist. Göthrici & Rolfi p. 119.

b) Exstat ille Hymnus im *Neuen Handbuch von 400. schönen Gesängen* &c. gedruckt und verlegt zu Franckfurt am Mayn, durch Balth. Christoph. Wüsten, im Jahr 165(. sub titulo: *Klag-Lied über des löblichen Königs früh-zeitiges Ableiben*, Melod. An Wasserflüssen Babylon. Versus sunt 15. quorum hic primus: *Gustaff Adolff, der edle Held, aus Schweden hochgebohren, siegreich, gerühmt in aller Welt, zum Krieg des Herrn erkohren; ein Fürst von Hertz, Rath, Muth und Stärck, ein König voller guten Werck, heroischer Ritterthaten, dadurch Gott seiner Christenheit aus Gfahr und grossen Hertzenleid geholffen und geräthen.* Tantus honos vix ulli terrarum Regi habitus est, ne quidem a suis. Hymnum hunc, apud nos certe rarissimum, debeo Prof. Academ. huius Celeberrimo Dn. ERICO ALSTRIN. Habuit vero, ut ex Actis Bibliothecæ nostræ comperi, auctorem D. & Superint. Matth. HOE ab Hoënegg, & translatus in Sueth. idioma, a P. O. ita incipit:

Gustaff Adolph en hielte stålt
Af Swerige högtboren,
Han har nu instælt sig i fælt
Til HerransKrig utkoren,&c.

Typis prodiit A. 1693. in 8. una cum Hymno ab ipso Rege composito, de quo supra p. 53.

c) Vid. KHEVENHILLERI *Annal. Ferdinand.* Tom. XII. pag. 2410.

Dux Friedlandiae dicere solebat: *Er hielte den König aus Schweden für den besten und tapfferſten Cavallier in der Welt d)*. Nec alia fuit excellentiſſ. quondam Hiſpanicarum copiarum Ducis, *Balthaſ. Ambroſii* SPINOLAE de Rege noſtro confeſſio *e)*: BVRGVS & Italus erat & veneno Anti-Chriſti infectus; ſed nec gens, nec fides, nec hoſtilis alioqnin animus calamo valuerunt imperare. MAGNANIMVS, inquit, *liberalis, affabilis, miſericors fuit Guſtavus, pius quoque ac iuſtus f)*. Et quid tu denique, Roma, tu Latini tonantisque Iovis arx & capitolium, quod in nos iras tantum, odia, fulmina vomere fundereque ſoles? Quid ſentis de hoc Heroë Sveco, de Leone hocce hyperboreo, non iam rugiente amplius, ſed extincto? Viator, inquis,

Si plura, ſi maiora quaeris;
Deum, non hominem, quaeris g).

Quod cum ita ſe habeat, quis ſanae mentis vel ſibi vel aliis perſuadere ſuſtineat, tam generoſum Principem *gladio* quodam *incantato* vel magico gloriam ſuam voluiſſe contaminare? At

d) Ibidem pag. 162. & SPANHEM. *Soldat Suedois* pag. 363. Non ergo curamus calumniam Galli Anonymi, qui fortitudinem Regis *puram temeritatem* vocat. Conf. Dn. D. EL. SILBERRAD. Diſſ. de *Sacrificiis Status*, Sect. 2. §. 3.

e) Vid. Frid. Leutholf von FRANCKENBERG im *Europaiſchen Herold*. Part. II. pag. 278. & notandum, haec dixiſſe *Spinolam* A. 1620. longe ante Regis noſtri tranſitum in Germaniam: *Er ſehe niemand Proteſtirender Seiten von der conſideration, als* den iungen König in Schweden. *Dieſen ſolte man nicht leichtlich aufbringen, weil ſein hohes Gemüthe und Valor ſich fürtrefflich zu tage legte.*

f) Libro III. *Expedit. Svet.* conf. ſupra etiam pag. 110.

g) *Europaeiſch Herold.* l. c. Eſt pars *Epitaphii* Guſtavo M. erecti a Monacho quodam Italo. Vid. MICH. WEXIONIVS in *Deſcript. Sueciae* Lib. IX. cap. 126. ubi habetur integrum. Anton. ELERS im *Schwediſchen Lorber-Zweig* dicit eadem verba in effigie quadam Romana reperiri hoc modo: *Hic Guſtavi Adolphi cernis imaginem; Si plura quaeris, Deum non hominem quaeris.*

At id credidisse tamen complures tradit *Morinus*, nec ipse in re tam prodigiosa incredulus: isti nimirum gladio praeclare ab eo gesta tribuenda esse, eumque Regem, *ad obtinendas perpetuas victorias, a mago vel nebulone emisse, atque sic a Satana eiusque ministris deceptum, in omnibus suis praeliis plurimum ei confisum esse.* Obstupescite coeli! Vbi iam christiana illa pietas? Vbi tot illustrium virorum elogiis celebrata altitudo animi? Si unius astrologi heic standum est auctoritate, cadent illa decora, illae palmae ac triumphi. Sed LX. potius *b*), mille potius astrologi, cum omnibus astris & tota cœlorum machina dissoluta, ruent peribuntque, quam Magni Gustavi vacillabit virtutum gloria; quippe super omnia sidera, & naturae universae limites iam dudum posita, ac aeternum duratura *i*). Non equidem hic res est cum Hunnorum duce Attila, qui *Martis gladio*, forte fortuna reperto, superbiens, sibi eius beneficio orbis terrarum promittebat imperium *k*); neque cum Thracibus antiquis, Scythis & Alanis, quos *gladium* pro numine, haut aliter ac Martem, coluisse scriptores perhibent *l*). Barbari erant illi, pagani, & ut PAVLVS loquitur *m*), ἄθεοι ἐν τῷ κόσμῳ. At Christiani Regis victorias, quae Deo, quae armorum iustitiae, prudentiae denique ac virtuti debentur, gladio, qualiscunque demum ille fuerit, adscribere velle; stolidorum

b) Alluditur ad illud, quod dici solet: *Praestat damnari a 60 Astrologis, quam a 16 Medicis, & a 16 Medicis, quam a 6 IConsultis.*

i) *Gloria Gustavi durabit in omnia secla,*
Gloria replet humum, sidera celsa replet.
Ex elegantissimo carmine D. Ioan. DEVTSCHMANNI in *Iachesii Gustavum M.* Vitteb. 1678.

k) Vid. IORNANDES de *Rebus Geticis* cap. XXXV. Lambert. SCHAFFNABVRG. de *rebus Gestis German.* pag. 186. Rudolph. ROHT de *Attila Hunnorum Rege* §. XXIII.

l) ARNOBIVS, *adv. Gentes*, Lib. VI. p. m. 196. AMMIANVS Marcellin. Lib. XXXI. cap. 2. POMPON. MELA, Lib. II. cap. 1. SOLINVS cap. XXIV. p. m. 615. IVSTINVS Lib. XLIII. 3. 3. ALEXAND. ab ALEX. *Gen. Dier.* Lib. V. cap. 10. & L. VI. c. 26. De *Susilcar* Turcarum vid. CAMERAR. *Hor.* Cent. II. p. 122. SALMVTH ad *Panciroll.* p. 37.

m) Ephes. II, 12.

dorum eſt, non ſapientum hominum. Stolidius adhuc, Regem ipſum talia de ſe confitentem introducere, quod tamen ſcriptor vitae Morini audacter fecit *n*): quandoquidem *ſibi ipſi invidens, hominum infelicisſimus fuiſſet, ſi victorias virtute partas, magicae arti attribuiſſet*, ut ſub perſona Appollonii loquitur PHILOSTRATVS *o*). Recorderis praeterea, precor, L. B. eorum, quae de omni veneficiorum malarumque artium uſu contra hoſtes, a Guſtavo Rege interdicto, ſupra ſcripſimus *p*); & facilis erit concluſio. Qui enim v. g. venenum, ceu rem, licet naturalem, infra ſuam tamen dignitatem longe poſitam, deteſtatus eſt, & ſub pœna capitis prohibuit militibus; ille, ſi diis placet, magicum ferrum, omni veneno ſceleſtius, & infernalium Furiarum conflatum auxilio, ipſe admittere, emere, geſtare, ſtringereque, ipſe, inquam, ille Dux & Rex, non dubitaret?

§. XIV.

ARG. III. At obiecerit quispiam, Symbolum Regis fuiſſe: *Cum Deo & victricibus armis a*). Quid inde? Minime crediderim, *victricia* arma & *magica* quemquam habiturum pro ſynonymis. Vel ſi habet; *quae concordia* CHRISTO *cum Belial b*)? Invito Numine fit nihil, nec debellari ſine armis hoſtes ſolent: cum *Deo* autem debellantur ac *armis*, quae ipſo ſecundante redduntur vocanturque *victricia*. Vide Pſalm. XVIII, 30. 35. & ſequ. Gladium igitur, ut legum iuſtitiaeque vindicem, ut maieſtatis robur ac inſigne imperii, ut neceſſarium vincendi medium, divinitus lateri accinctum *c*), & proinde ut rem ſacram & pretioſam, magni aeſtimare, nulla, arbitror, ſuperſtitio erit. Fecere id antiqui *d*), faciuntque hodie

n) *Quod neque ipſe Rex abnuebat*, inquit. Supr. p. 26.

o) Libro VII. & IIX. pag. 318. 330. ſequ. Edit. Olear.

p) Cap. I. §. 4. pag. 82. & 12. p. 97.

a) Vid. LVDEN. loco ſupra citato, paſſim.

b) 2 Cor. VI, 15.

c) Rom. XIII, 4.

d) Quam religioſe *gladios* ſuos tractaverint veteres, vide apud

hodie Heroës fortiſſimi; enſem vigiles e balteo nunquam deponentes, in bello autem, noctu ac dormientes raro. Habuimus nuper memorabile exemplum gl. m. Regis CAROLI XII. non obſtante, quod quidam eius *gladius*, una cum cingulo habetur in *Hoplophylacio Dresdenſi;* ipſi enim mos erat, cum novos accingeret, priores bene meritis, ceu propenſioris animi teſſeram & pignus, dare *e*). Ceterum Svethicos enſes, utpote non raros, ad imitationem huius potiſſimum Principis & Victoris, in Saxonia tunc conſtituti, tanquam inſigne decus, geſtaſſe ex Germanis pleroſque, ne exceptis quidem civibus Academicis, eo tempore conſpeximus. Verum ad *Guſtavum M.* ut revertamur, vulgare non eſt, quod de

H 2 eius

WORMIVM, *Monum. Dan.* lib. V. p. 417. KEENHIELM not. ad Capp. X. & XIII. *Hiſt. Thorſtani*, pag. 86. 97. Hinc nomina ipſis peculiaria imponere ſolebant, ut dignoſcerentur a poſteris. Exempla habuimus paſſim ſupra pag. 17. 18. 38. Si vero digni non aderant haeredes, vivi eos aut defodiebant, aut frangebant ſaxo. Interdum una cum mortuis cremabantur igne, aut in ſignum fortitudinis, integra mandabantur tumulo; cuius ritus veſtigia habentur etiam in S. Codice, Ezech. XXXII, 20. 27. Et hinc recentior conſuetudo manaſſe putatur, in magnatum exequiis *gladium* collocandi ſuper feretrum defuncti, eundemque poſtea ad ſepulcrale monumentum ſuſpendendi. Quin & armis indui ante mortem voluerunt quandoque Heroës militares, ut armati honorifice reddere ſpiritum viderentur. Conferantur de his omnibus inſuper VERELIVS ad *Hervar. Saga* pag. 49. STEPHANIVS ad *Saxon. Gr.* pag. 73. 105. 176. SPERLING, in *Nov. Liter. Maris Balth.* A. 1700. pag. 17. 23. & ſequ. BARTHOLIN. *Antiquit. Dan.* Lib. I. c. 4. p. 29. ſeq. & Lib. II. c. 13. p. 571. ſq. *Muſaeum Reg. Hafnienſe* edit. a LAVRENTZEN, Part. II. Sect. 3. n. 23. & 26. ARNKIEL de *Ritib. Sep. Gent.* L. I. c. 22. p. 156. ſeq. RHODE, *Cimb. Holſt. Antiq. Remarques*, pag. 155. 252. 266. 271. 392. ex epiſtol. *Ott. Sperling.*

e) Dicunt Regem tradidiſſe hunc *enſem*, qui Dresdae conſpicitur, militi Saxoni, quem captum dimiſerat, hunc rurſus R. Friderico Auguſto. Ad latus pendent *enſis pileus*que Petri I. Moſcorum Principis.

eius *gladio* refert AVG. BVCHNERVS *f*), cum scilicet, quem vagina munitum vespera reliquerat, mane in mensa nudum extitisse; cui rei divinitatis quid subfuisse, illi facile credent, quibus ex insolitis fortuitisque captare omina, familiare est. Nos hic ἐπέχειν malumus, quam in re incerta certi aliquid statuere, cum commento miraculi. Observat tamen Cl. VERELIVS *g*), *multorum arma ante conflictum, in parietibus subsultare & clangere.* Nec desunt nobis exempla alia apud LIVIVM, an temere nuntiata & credita, heic non dixerim; Mavortem scilicet telum suum concussisse, arma sponte sua mota, crepitum fecisse, modo sudasse sanguinem, modo arsisse, cetera *h*). Credulum fuisse in eiusmodi rebus, aut superstitionibus obnoxium Gustavum Regem nusquam legimus, quamvis ei occasio forsitan vel caussa non defuerit; si *Ranzovii i*) & *Lipsii k*) monitis politicis magis, quam divinis oraculis *l*) obtemperare, si *Augustum m*) potius, aliosque portentorum vanos observatores,

f) *Epistolarum* Part. I. Ep. 9. & LAVTERBACH, *Polnische Chron.* pag. 621.

g) In *Notis* ad Histor. Göth. cap. 32. ubi agitur de cornu *Ringhorna*, insignium virorum mortes praesagiente. Simile quid de *Nola* Avilensi in Hispania refertur, vid. GAFFAREL. *Curios. Inaud.* p. 66. Mos alias antiquis fuit, ex *acie gladiorum* divinare. Conf. KIMCHI ad Ezech. XXI, 21. & HOFMANNI *Lex. Vnivers.* in voce *Telum.*

h) Vid. Lib. XXI. cap. 62. L. XXII. c. 1. L. XLIII. c. 13. & conf. CAELIVM Lib. XXI. c. 16. *Lect. antiqu.* Ita *ferrum* prius tremere dicitur, quam eo necentur facinorosi. LAVATERVS de *Spectris*, Part. I. cap. 17.

i) *Commentar. Bell.* Lib. II. cap. 18. & L. V. cap. 5. Conf. eiusdem Nobiliss. Auctoris librum pro *Astrologia Iudic.*

k) *Politicor.* Lib. V. cap. 16. ambo TACITI auctoritate eo adducti.

l) Deut. XIIX. Levit. XX.

m) SVETONIVS in *Augusto*, cap. XCII. & sequ. Ioh. SARISBERIensis *Polycrat.* Lib. 3.

tores, quam *Iulium Caesarem n*) imitari voluisset. Conferantur, qui de somniis Gustavi Adolphi, de columba, aciem eius circumvolitante, & aliis miris atque improvisis casibus scripsere *o*). Hinc iure inferimus: Si omina, si somnia, si auguria, si divinationes, & reliqua futurarum rerum praesagia, queis anilis quorundam philosophia consuitur, alto supercilio sprevit Rex sapientissimus, Deoque unice confisus: tanto minus magicis eum favisse artibus, aut in *ense* quodam sacrilego spem suam reposuisse, aliquis incorruptae mentis arbitrari poterit. Date igitur Deo gloriam, & confitemini, omnes *Bileami* posteri, ***non esse incantationem in*** **hoc *Iacob*, *neque divinationem in*** Arctoo *Israël.*

n) Vid. CAESARIS, vel ut aliis placet, Hirtii *Comment.* de Bell. Afric. & SVETON. in eius Vita, cap. LIX. ubi quam dextre suum ex pedis offensione in Africa casum explicarit; & paria prorsus leguntur de *Erico* apud SAXONEM Lib. V. p. 73. nec non de *Olavo Sancto* in eius historia rhythmica, ab HADORPHIO edita, pag. 15.

o) Io. Lud. GOTTFRIED in *Inventario Sveciae* Part. II. pag. 343. & 348. Io. Georg. SCHOCK in der *Leipzigischen Krieg- und Friedes-Schäfferey*, pag. 165. *Arma Svecica* ad A. 1631. BVCHNERVS *Epist.* L. I. Ep. 9. Balth. HENCKELIVS in Tractatu, qui dicitur *Somnium Gustavi Ad.* Holm. 1640. 8. SCHEFFER *Memorab.* pag. 19. 22. sequ. Io. Phil. ABELINVS in *Theatro Europ.* Tom. II. p. 412. *Vita R. Caroli XII.* Norimbergae edita Part. I. cap. 18. pag. 456. Inter haec bona omina referri solent *Appulsus* Regis in Germaniam, die festo & seculari in memoriam Aug. Confessionis: *Visiones* nonnullae, & mari, terra, coeloque monstra: *Mysteria Gustaviani nominis*, per anagrammatismum, & nescio quam Cabbalam, a curiosis hominibus eruta: Theoph. Paracelsi *Prophetia vom Löwen aus Mitternacht*, quae impressa prodiit A. 1631. Mirabilis *Catastrophe* Comoediae Iesuiticae, in Regis ignominiam Hildesheimiae institutae, de qua conf. GOTTFRID. loc. cit. p. 333. PAVLINI *Historia Arct.* pag. 394. Huic simile des Ecclesiastiques de Chamb vid. le *Grand Theatre Historique*, Tom. III. p. 460.

§. XV.

ARG. IV. Morinus, gladium R. Gustavi describens, dicit eum fuisse *acinacem a*), h. e. falcatum ensem *b*), vel potius modice reflexum; quali, praeter Moscos & Polonos, utuntur omnes fere Asiatici & Orientales populi. *Copidas* olim vocabant *c*); Turcis hodie *Killisch* dicitur vel *Scimitar*, Arabibus *Saifun*, nobis vero *Krokſabel*. Eandem formam gladius tam Lipsiensis quam Aquensis habent, ut ex tabulis praefixis est conspicuum: sed spurios esse eos omnes, vel ex hac nuda eorum externaque facie ac structura evincitur. Priscis quidem Scythis acinacem tribuunt HERODOTUS *d*), AMMIANUS *e*), &c. atque Gothis etiam ensem leviter curvatum in usu fuisse, docet LOCCENIUS *f*) cum ex iconibus veterum, tum testimonio STATII *g*). Res sine dubio ex Asia, ut multa alia, in Septentrionem deinde translata. At habuerunt quoque maiores nostri gladios rectos, longos, immo praegrandes, & interdum

a) Vox est plerisque *Persica*, sed civitate Latina postmodum donata. Hadr. RELANDUS Diss. VIII. inter *Miscellaneas* pag. 111. Aliis *Graecae* putatur esse originis, quasi ὠχεῖαν vel ὀξεῖαν ἔχων ἀκὴν; vid. VOSSIUM de *Vitiis Lat. Serm.* pag. 23. 57. & *Etymologicum* p. 5. Sunt etiam, qui *Gothis* eam vindicant, non ita absurde: *Asin-ax*, h. e. Deorum, videlicet *Asorum* aut Asianorum securis vel *gladius*. Sic Nic. SALAN in eleganti diss. de *Glad. Scythico*, cap. 2. §. 14. *Medis* olim proprius fuit sec. ALEX. ab ALEX. *Gen. dier.* Lib. VI. cap. 22. pag. 356. & *Persis*. Περσικὸν ξίφος, τὸ ἀκινάκην καλέουσι. HERODOT. *Polymnia* s. Lib. VII. cap. 54.

b) Ita OVIDIUS vocat, *metamorph.* Lib. IV.

c) Vid. CURTIUS Lib. VIII. cap. 14. §. 29.

d) Lib. IV. cap. 62. & 70. ubi gladium ab acinace distinguit.

e) Lib. XXXI. cap. 2. & reliqui citati §. XIII. lit. i.

f) *Antiquit. Sv. Goth.* Lib. 3. cap. 2. p. 174.

g) *FALCEMque Getes*, II. Achilleid. v. 418. Cui addi possunt CLAUDIANUS in *Laud. Stil.* Lib. I. v. 110. SAXO GRAM. *Hist. Dan.* Lib. I. pag. 13. LIPSIUS in *Analectis* ad Lib. 3. de Mil. Rom. & SALAN L. c. pag. 53. 54. 71.

terdum solo pondere noxios, h. e. romphaeas seu machaeras, Suethice *Swerd*, vel retento Graecorum vocabulo, *mäkir b*) dictos. Id quod ex scriptis non tantum antiquariorum *i*), sed exemplis etiam *k*), figuris *l*), & reliquiis hinc inde repertis *m*), claris-

b) Μάχαιρα, *machaera* Lat. & antiquum nostrum *maekir* sive *machaer* (utroque enim modo scribitur) & literis, & sono, & sensu conveniunt. Gothorum frequentes olim erant in *Graeciam* migrationes, unde facile illis linguae peregrinae aliquid adhaerere potuit; licet alii apud nos natam esse vocem contendant, & hinc manasse ad Graecos. Sed dubito, de hoc an possit certi quid definiri. Antiquior enim videtur vox illa & Gothis & Graecis; nam habetur in Hebraico textu Vet. Test. Gen. XLIX, 5. מכרתיהם quod LVTHERVS vertit per *Schwerter*, Noster per *Mord-Wapn*, SCHMIDIO *Machaerae*, quasi esset illud a sing. מְכֵירָא Conf. BVXTORF. *Lexic. Talmud.* p. 1204. Graecis tamen favet Glossa RASCHII, & in *Pirke* R. ELIESER cap. 38. de Iacobo dicitur, quod maledixit gladiis filiorum בלשון יונית *lingua Graeca.*

i) Conf. OLAVS MAGNVS Lib. VII. cap. 2. fol. 74. & Lib. VIII. c. II. SALAN, loco saepius cit. cap. 2. §. 9. & 10. p. 73. sequ. REENHIELM ad *Hist. Thorst.* p. 85. LOCCEN. *Lexic. Sueo-Goth.* in voce *Ryting*.

k) In *Siolfi Skaldquäd* dicitur: *war Thorstens wigur wel langur og digur*, h. e. Ensis Thorstani erat bene spissus & longus. De Spatha Ogeri Dani (forte Olgeri, *Olger Dansk*,) proceritatis admirandae vid. Sal. l. c.

l) Gladium hodiernis nostris similem gestare pingitur *Frigga*, antiquissima illa Septentrionalium Dea. Vid. STEPHAN. ad Sax. pag. 137. Conf. etiam de aliis RVDBECKIVS *Atlant.* Tom. III. p. 104. 145. 468. & *Musaeum Reg.* HAVNIENSE, Part. II. Sect. 3. No. 5.

m) Vt unum tantum profundae antiquitatis monumentum nominem, conspicitur hodie in Musaeo Max. Rev. & Celeberrimi Viri, Doct. & Prof. OLAI CELSII *gladius* ferreus, e rupibus non ita dudum erutus in Westmannia. Tota longitudo laminae, quae superest, (mucro enim septem digit. abruptus est) in exactam rectitudinem porrecta, tres pedes continet & 6. dig. Geometricos; latitudo, ubi maxima est, binos pollices, capulus vero integrum pedem Suethicum duosque digi-

clarissime liquet. Habent insuper militum arma & hoc cum ceteris rebus humanis commune, ut mutatis temporibus, mutentur & illa. Sic apud Graecos *n*); sic apud Romanos *o*) saepius factum; ita etiam apud Gothos & Svionas rudiorem armaturam, labentibus annis, recentior meliorque usus abolevit. Qua vero aetate incurvi enses apud nos antiquati sint, parum compertum habeo: Id liquido constat, sub *Gustavo Adolpho* longe aliam, commodioremque evasisse rem militarem *p*), & eius non primum aevo, sed diutissime ante eum, praelongis, acutis, ancipitibusque gladiis milites nostros pugnasse. Quod nec mirum, siquidem punctim quam caesim ferire, utilius esse in bello, non tantum VEGETIUS, & AEGIDIUS ROM. *q*) variis argumentis doceant, sed exempla etiam, & rerum experientia confirmare videantur *r*). In Ὁπλοφυλακίῳ Regio, quod *Stockholmiae* est, non nego conspici aduncum quendam ensem, quem militi Polono, abscissa eius manu, ademtum, in bello Polonico, ut de Iuda Maccabaeo legimus *s*), usur-

tos excedit. Ἀμφίστομος est hic ensis, & ex eorum sine dubio numero, qui ambabus olim rotabantur manibus; tanti praeterea acuminis, ut furcas ferreas scindere uno ictu possit, at diuturno situ ac rubigine nonnihil corrosus. Conf. si placet, de Cimbrorum gladiis antiquis in den *Cimbrisch-Holstein. Antiq. Remarques* 35. Woche, pag. 274. sequ.

n) Apud Athenienses v. g. sub Iphicrate. vid. DIOD. SICULUS XV. cap. 44. CORN. NEPOS in Iphicr. cap. I.

o) Vid. POLYBIUS *Hist.* Lib. VI. p. m. 471. sequ. edit. Casaub. & LIPSIUS de *Milit. Rom.* L. 3. Dial. 3.

p) Conf. LOCCENIUS de *Antiquit.* pag. 191. & SCHEFFERI *Memorab. gent. Sv. Goth.* cap. 8. §. 1. pag. 42. De *Tormentis coriaceis* a Gustavo Adolpho primum inventis, ita inter alia Vencesl. CLEMENS, Lib. VI. *Gustavidos*, pag. 123.

Attamen ante Gothos minime Germania vidit
Par huic inventum, laus est ea sola Gothorum.

q) Ille Lib. I. cap. 12. iste cap. 13. de *Re milit.*

r) De antiquis Hispanis LIVIUS Lib. XXII. cap. 46.

s) 1 Maccab. III, 12.

usurpasse dicitur Rex Gustavus; sed peregrinus erat ille & ad brevissimum tempus pro arbitrio adsumtus, nec unquam eum vidit Germania, utpote pacatis Sarmaticis rebus, mox in Sueciam translatum. Est ibidem alius quoque acinaces, isque pretiosissimus; a Transylvaniae quondam Principe, *Bethlehem Gabor*, muneris loco, Regi missus, nunquam autem eius dextra gestatus. Vt breviter dicam, ensis, quo se suos & socios tutatus olim fuit alter hicce Iudas *t*), ensis ille, qui nunquam rediit vacuus a confossorum sanguine, ab adipe fortium *u*); qui comes Regi in bello Germanico, & pugna demum Lützenensi fidus individuusque in mortem usque permansit; ille, inquam, recurvam acinacis formam neutiquam habuit; sed in rectissimam longitudinem extensus fuit, gracilis & hodiernis, queis utimur, gladiis aliquanto subtilior. Hoc ne finxisse videamur, thesi ultima huius capitis, robur dictis addetur. Interea claudicantem, B. L. *Mortuorum* fidem contemnere incipe, iam iam penitus ruituram.

§. XVI.

ARG. V. Si nullum aliud adesset argumentum, quo falsitatis ferrum, mendaciique convinci auctores possent, hoc forte unum sufficeret, quod *plures* venditantur unius eiusdemque Regis *gladii*, eodem loco, agro nempe Lützenensi, ac eodem tempore inventi; cum tamen Regi non manus octo, ut isti *Starkotero a*), sed dextra tantum fuerit unica, unicusque ensis. Alius nimirum visus est *Lutetiae Parisiorum*, alius a Borillo servatur *Aquis Sextiis*, alium *Lipsiensis* Senatus offert, alium se habere gloriatur *Caesar*, & dantur eiusdem generis plures, nobis licet ignoti, ut mox ostendetur.

t) Ibidem v. 3.

u) 2 Sam. I, 22.

a) Vid. *Hervarar Saga*, cap. I. At b. m. Ol. RUDBECK in *Atlantica* sua, Tom. III. pag. 226. & p. 175. fig. A. pluribus ostendit, haec & similia non secundum literam intelligenda esse; sed *manus octo*, quae tribuuntur Starkotero, explicandas esse per *quatuor viros* iunctim pugnantes.

detur. Date terga, aut praebete iugulum, Impostores, gladios praeparastis, quibus pereatis. Aut quis, quaeso, fraudem non videat; & anilitatem fabulae? Dolemus profecto vicem Imperatoriae maiestatis, vices clarissimarum Vrbium, ac tot Virorum illustrium nobiliumque, qui sibi tam manifesta impietate imponi ab istis male feriatis hominibus, passi sunt. At Morino non possumus non iure succensere, dum, inverso ordine, *Gustavum deceptum* dicit *a nebulone*, *vel mago*, *vel astrologo* (NB. pari apud eum, & ipsum quidem astrologum, hi passu ambulant) *ut ensem emeret*; cum tamen fateri potius debuisset, Parisienses illos nobiles, quos gladium Gustavi a milite emisse refert, & se denique ipsum, tantum quantum astrologum, fuisse turpiter seductos. Euge amicum coelo caput! Eccur media luce dormitas? Cur inauspicato, vel inconsultis astris, de re maximi momenti iudicare sustines? *Astrologiam* tuam *Gallicam* tanti Principis gladio ornare studuisti, ornatamque commendare magnatibus: sed, quam imprudens, quamque miser, Morine! eodem illo gladio iugulasti eam, nec aliud quam foetidum, quam deforme & infame omni posteritati, opus dicam, an cadaver reliquisti. Verum provocet ad *Regis nomen* laminae impressum, provocet ad *multo sanguine maculatum chalybem b*): dissolutae scopae, non argumenta, sunt ista. Et caelum impostor habet, & sanguinem taurus. Dixerit quispiam, Parisiensem gladium migrasse Aquas Sextias & inde Lipsiam, & sic diversos non esse, ut modo diximus, sed eundem. Negatur de primo praesertim & ultimo. Notentur verba, mox adducenda plenius: *La reputation de ce grand guerrier* (Gustave Adolphe) *a eté telle*, *qu'on s'est pleu à en forger de* MILLE SORTES, *pour en faire un tresor aux curieux*. De gladio ibi sermo est. Conferamus, quaeso, tres istos gladios notiores; & qua characterum situm, integrasque voces, mira differentia apparebit. In Parisiensi scriptum exstat: *Gustavus Adolphus Rex Suetiae*, & quidem a capulo mucronem versus; in Lipsiensi tantum: *Gustavus Adolphus*

b) Conf. verba *Morini* supra cap. II. ad §. I.

phus Swecus, idque non a capulo. Super altero latere hic habet: *Audaces fortuna iuvat*; sed Parisiensis addit: *timidosque repellit.* Ab una tantum parte characteres magicos praebet Parisiensis; Lipsiensis vero ab utraque, &c. Aquensis iterum ab utroque recedit, a Parisiensi; quia *Suediae* ponit pro Suetiae, & nescit augmentum illud: *timidosque repellit*: a Lipsiensi autem differt hoc ipso, quod & capulo caret & vagina. Maior inter reliquos, si adessent, enses similitudo forsan non deprehenderetur, examinandos tamen discupimus suis possessoribus, iustam deinde & intemeratam laturis sententiam. Verum lites heic & bella enasci praesentio, haud aliter ac de cunis Homeri inter septem civitates Graeciae disceptatum legimus; aut hodie de reliquiis SS. a Papicolis fieri assolet. Vnum fuisse tantum Gustavi R. gladium dum necessario agnoscent, reliquos omnes pronuntiabunt spurios, &, quisque pro suo thesauro pugnans ut genuino, non poterunt non alios ad invidiam & certamen provocare. At facillimo tamen negotio tota dirimetur controversia, si nobis arbitris esse licet, dicereque, quod aequum est, neutrum illorum verum & genuinum, sed omnes ac singulos, sive *Parisiis*, sive *Aquis Sextiis*, sive *Lipsiae*, sive *Viennae*, sive etiam *Romae*, ἐν ἱεροῖς c) magna religione serventur, adulterinos esse, & servari ut nugas.

§. XVII.

ARG. VI. Id ut eo melius patescat, ostendere iam convenit, verum *Gustavi Magni gladium* neque in Germania, neque in Gallia, sed in *Svecia* quaerendum esse; huc enim ex campis Lützenensibus anno CIƆ IƆ CXXXIII. una cum Regio funere, maximaque pompa, deportatus est, hostium cruore rubescens. Ne vero de nostra vel Svecorum fide dubitetur, Germanos Germanis hic opponimus, Gallisque Gallos. Verba IO. CHRIST. LVNIGII a) haec sunt: *Solchem folgte ein stattlich,*

c) LVCIANI *Tyrannicida* pag. 705. Tom. I.

a) In *Theatro Ceremoniali Hist. Polit.* Tom. II. pag. 556. sub ti-

lich, und nehmlich der Königl. Majestät Leib-Pferd, mit gelb, schwartz, und weissen Federn, auf das allerköstlichste gezieret, darauf Ihr. Majest. Cammer-Herr, Carl Horn, mit derselben stattlichem völligen Kürifs, und darüber eine grosse güldene Kette von 2000 *Ducaten; auch unten herum mit einer schwartzen sammeten Sturm-Decken mit gelben Frantzen angezogen, gesessen, und in der rechten Hand* NB. *der Königl. Majestät* BLOSSEN DEGEN, *auch in den Hulfftern die Pistohlen, damit dieselbe in der Lützener Schlacht ritterlich gefochten, so zum betrübten Wahr-Zeichen mit Dero Königl. Blut beronnen, die Hanen auch noch überzogen gelassen, vor sich geführet. Der Sattel, darauf er sass, samt den Hulfftern und Zeug, waren von Gold gantz dick auf das allerschönste gestickt*, &c. Haec de Processu funebri in Pomerania; & paulo post de ipsis exsequiis, quae fiebant Holmiae, haec inter alia profert: *Das Leib-Pferd ward geritten von Baron Horn, in einem gantz vergüldeten Küras, das Pferd mit vergüldeten Platten belegt, des Königs (Sel. Andenckens)* BLOSSEN DEGEN *in der Hand führende*, NB. so im Treffen bey Lützen voller Blut wieder gefunden worden. *Hierauf folgten zween Herohlen mit silbernen Sceptern*, &c. Eadem verba inveniens apud Rom. Germ. Imperii Comitem & subditum, FRANC. CHR. KHEVENHILLER *b*). Haec testimonia sufficiant ex *Germania*. Ad *Gallos* quod attinet, primum ex MS. quodam, totam funebrem pompam in Pomerania describente, sequentia adducam: *L' an* 1633. *le* 10 *Juillet on a fait le convoy du Roy iusqu' aux basteaux avec la procession ---- Il y avoit un guidon rouge & 4. herauts d armes chacun portant deux sceptres. Item un homme armé de toutes pieces, portant les armes du Roy avec* SON ESPEE, *qu' il avoit* au

tulo: *Beschreibung, mit was vor Pracht die Leiche Königs* Gustavi Adolphi *in Schweden von Wolgast nach Schweden abgeführet worden, de Anno 1633.* Et pag. 557. sub titulo: *Leichen-Begängniß Königs* Gustavi Adolphi *in Schweden, wie solches zu Stockholm im Jahr 1634. vollzogen worden.*

b) *Annal. Ferdin.* Tom. XII. pag. 735. & 1518.

au combat de Litzen, & ses deux pistolets debandez & insanglantez. Sin impressa magis placent, & ea, quae anno sequenti contigere Stockholmiae, pauca excerpam ex Relatione Gallica, edita Lugduni Bat. 1635. in 4. c) *Après les drappeaux suivoit le Baron Charles Horn armé de la cuirasse du feu Roy toute dorée, monté sur un Cheval très richement orné, mais couvert de velours noir, & qui clochoit par industrie, ce Seigneur suivy de ses Pages & laquais en dueil. Ce Seigneur portoit* LAVRAYE ESPEE *du feu Roy toutè sanglante encore comme on l'avoit trouvé apres la bataille de Lützen. Ie dis la vraye espée, car la reputation de ce grand guerrier a eté telle, qu'on s'est pleu à en forger de mille sortes, pour en faire un tresor aux curieux. Et l'Empereur s'etoit vanté de l'avoir eue apres cette signalée bataille de Lützen, où sa perte luy fut avantageuse en la mort de ce grand Roy: & en ayant à son avis son espée: mais à quoy sert une espée, si l'on n'en a le bras, qui l'a fait vaincre sous la Providence divine?* Visus ergo est Gustavi Magni gladius ab infinita hominum multitudine, ad tanti funeris spectaculum effusa, 1. *Wolgasti* in Pomerania, 2. *Nicopiae* Svecorum, quo classis, eiusdem Triumphatoris exuviis luctuosa, appulit, & per omnes deinde publicas vias, per agros, vicos & urbes, donec ad *metropolin* regni perventum esset, ibique 3. cum tumulo Regium funus conderetur.

c) Titulus est: *Le glorieux & triste Enterrement de Gustave Adolphe Le Grand, Roy de Suedois, &c. fait à Stockholm le 22. de Juin l'An 1634.* Pag. vero 5. verba nobis citata, occurrunt, quae ob praestantiam, Latine verti merentur: *Hic Dominus* (Baro Carolus HORN) *manu ferebat VERVM GLADIVM defuncti Regis, totum adhuc rubentem sanguine, sicuti inventus est post pugnam Lützenensem. Dico verum gladium, quia tanta evaserat maximi huius Herois gloria; ut enses eiusmodi, millenis modis fabricati fuerint, in gratiam curiosorum. Gloriabatur Caesar, in manus suas venisse gladium istum post insigne proelium ad Lützenam, triste quidem suorum clade, proficuum tamen ipsi & faustum tam incluti Regis funere. Etsi vero, ut sibi persuadet, eum quam maxime habeat; cui bono erit gladius, si brachio destituatur, coelitus praeparato in victorias?*

§. XVIII.

ARG. VII. Hisce tot millibus testium qui credere dubitas, *Peregrine Lector*, Balthicum ipse transmittas aequor, Holmiamque petas, atque splendidissimum illud Armamentarium Regium (vulgo *Arsenal*) tibi recludi contendas. Ibi verum & genuinum Gideonis Svethici, GUSTAVI ADOLPHI gladium tandem invenies; eum oculis tuis contemplaberis; eum manibus, non sine sacro quodam horrore, contrectabis: GLADIUM, inquam, tam incluta olim vibratum manu, tot hostium Dei hominumque fumantem sanguine, tot tantisque victoriis illustrem, iam Domino suo, iam Rectore viduatum. Ne autem ingens ille ensium apparatus oculos quaerentis obruat, facileque in errorem trahat; schedulam noster affixam habet, & numero 36. notatam; ut eius historia in actis, quae ibi ad manus, evolvi possit. Praelongus est, ut antea monuimus, δίστομος, subtilis, atque in acutissimum mucronem desinens, ab omni prorsus inscriptione, notis vel characteribus immunis. Ansa capulumve vastius, &, ut mos erat illorum temporum, ad munimentum dextrae, in cancellos quasi & sphaerulas formatum, totumque obductum auro. Vagina ipsi non argentea, ut illa Achillis *a*), non distincta gemmis, quae nec SENECAE placuit *b*); sed simplex & albo tecta corio, in summitate particulas holoserici atri, ceu reliquias exequialis luctus, perpetuas retinet *c*).

§. XIX.

a) Vid. COINT. SMYRNAEI vel Quinti Calabri *Paralipom.* Lib. V. v. 115.

b) *Epistola* LXXVII. Lib. X.

c) Haec de *Gladio.* Adservantur in eodem Palatio etiam *Balistae* minores equestres, seu sclopi eiusdem Regis, non ligno clausi, sed ebore; quos cruore respersos, & in Succiam una cum funere delatos fuisse, dixit supra §. XVII. auctor relationis Gallicae: *& ses deux Pistolets debandés & insanglantés.* Eorum etiam *Thecae* ibi adsunt, ex holoserico rubro confectae, & auro argentoque distinctae, una cum *Ephippiis* eiusdem coloris ac operis: ipse denique,

§. XIX.

Haec ſunt argumenta omnino invictiſſima, queis contra omnes Momos Zoilosque, etiam poſt fata eius & cineres, pugnabit, vincet, triumphabit ſemper ſuperſtes, ſemperque invicta GVSTAVI ADOLPHI gloria. Abeat iam in malam rem ſeductorum omnium diabolica fraus & impoſtura: rumpantur nefaria arma: tradantur ponto vel rapacibus flammis magica ſpuriaque aera; utpote indigniſſima luce, indigniſſima poſthac mortalium conſpectu ac memoria. Non noſtra, ſed veſtra imprimis res agitur, *Morini fratres.* Facietis etiam, ſpero; niſi vel ad ſuperſtitionem creduli, a ſaniori orbis parte, haberi velitis, vel improbi, & ad extremum perditi.

§. XX.

quo in terram Rex moribundus defluxit, *Bucephalus*, tanta arte adornatus; ut a vivo diſcerni vix poſſit. *Calcar* Regis unicum, (alterum enim ſine dubio periit) quod geſtavit in pugna illa fatali ad Lutzenam, Hafniam perveniſſe dicitur, & oſtenditur ibi in Muſaeo Regio. Vide eius Deſcriptionem ab Oliger. IACOBAEO editam, & auctam a IO. LAVRENTZEN, Parte II. Sect. 3. No. 32. Conf. etiam KHEVENHILLER *Annal. Ferd.* T. XII. p. 195. *Veſtes* vero Guſtavi Magni, quae Holmiae, loco memorato, conſpiciuntur, Regio ſacratae ſanguine, non illae ſunt, quas ultimas habuit; (pars earum, videlicet *des Königs Goller*, hodie Viennae viſitur. Vid. KHEVENH. l. c. pag. 196.) ſed quibus in Boruſſia indutus, graviter ſauciabatur; quod tamen vice plus quam ſimplici contigit. Videantur *Diarium* Excellentiſſ. Comitis AXELII OXENSTIERNA, & *Literae* IOH. ADLER SALVII ad Regni Senatum ſcriptae; qui Vulnera R. Guſtavi diligenter annotarunt. Mentione *vulnerum* facta, ſubiicere liceat partem Epitaphii, quod ſibi ipſi poſuit Prof. quondam Vpſalienſis, LAVR. FORNELIVS, hodieque legitur in Templo Veteris Vpſaliae:

Me melius nemo GVSTAVI vulnera Regis
Vidit, id in ſaxo hoc, Lector, habeto novum.

§. XX.

At tu, flos orbis, Misniaeque decus, tu Svecorum quondam Regis ocelle, tantarum olim victoriarum sacrique tandem cruoris testis ac paene custos, nolo tibi, o LIPSIA, leges praescribere humanitatis, quam publice privatimque profiteris. Nolo Vobis, inclutae huius Vrbis amplissimi Patres Civesque, o Svecis amica pectora, & Socii fratresque Evangelicae fidei, nolo Vobis in memoriam revocare GVSTAVIANA beneficia; ne forte oblivionis, quod absit, Vos arguere videar. Amoris satis, satis reverentiae ac gratitudinis exhibuistis, subministrando nobis materiam disserendi, & ansam defendendi Principis, cui Maiores Vestri & libertatem debuerunt & spiritum. Proinde, si servare *Gladium* cupitis, servate pace nostra, pace etiam maximi REGIS, ostendite quoque, si placet, exteris: sed ostendentes dicite, quaeso, asseriteque, hoc documentum esse impudentiae, humanae evidentissimum, mendaciorum caput, & omnium nequitiarum culmen, quo superius datur dabiturque nihil.



CAPVT

DISSERTATIO TERTIA

DE

GLADIO MAGICO
GVSTAVI ADOLPHI

SVECORVM REGIS

QVAM

PRAESIDE

GEORGIO WALLIN, Fil.

S. THEOL. D. ET REG. ACAD. VPSAL. BIBLIOTHECARIO,

IN

AVDITORIO GVSTAVIANO MAIORI

D. XXIX. MARTII A. MDCCXXIX

PVBLICO EXAMINI SVBIECIT

ANDREAS HEDENGREN,

DALEKARLVS.

VENCESLAVS CLEMENS

a Lybeo-Monte

Lib. VII. *Gustavidos* pag. 149. & 191.

Non ego tanta meae tribuo, Deus optime, dextrae,
Tu facis haec solus. Legum devota saluti
Bellatrix est illa manus; Qui militat ENSIS,
Militat hicce Tibi, laesas ac vindicat aras.



Ite, docete, Viri SVEONVM, quid dextera possit;
Vulnera quanta feris GOTHICVS ferat hostibus
ENSIS.



I. N. I.

CAPVT TERTIVM.



§. I.

Ex iam in medium allatis satis superque patet, *Gladium magicum*, de quo agere nobis propositum fuit, gl. m. R. GVSTAVO MAGNO nunquam a latere pependisse, nunquam manibus tactum fuisse, ne visum quidem oculis, aut mente cognitum. Facile etiam a quovis concipi potest, eum nec immediate Orco deberi, hoc est, ab inferis geniis in lucem & conspectum orbis, sine ope humana, productum esse. Hinc fluit necessario, eiusdem fabros, carne olim & sanguine indutos, supra terram hanc, inter mortales habitasse. Quoniam autem illi neque nomen suum, neque genus, neque patriam profiteri ausi sunt; accensa Diogenis laterna nobis opus est, sagacitate & coniecturis, ut investigentur. Placet subsistere in illa Europae parte, quae tunc sedes belli erat, Germania. Incolas autem eius ubi curatius, ut illa tempestate erant,

circumſpicimus, in amicos ſe & hoſtes *Suecani* nominis ſponte dividunt, in probos & improbos. Horum iterum diverſas eſſe claſſes vel ſpecies, nemo ignorat, prout varii dantur improbitatis gradus. Si iam facinoris commiſſi atrocitatem iterum iterumque contueri, & aequa veluti lance ponderare placet, tanta utique eſt; ut parum improbis, mediocriter impiis, leviterque ſceleſtis imputari aegre poſſit. Sceleſtiſſimos itaque, & omnium mortalium impudentiſſimos in forum protrahendos eſſe, nemo non conſentiet. Dicam, quod nobis haec agitantibus in mentem venerat: nimirum alios huius fabulae auctores maiori iure vix haberi poſſe, quam qui, ſub *Ieſuitarum* nomine, in orbe ſunt notiſſimi. Nec dixiſſe ſufficiat; ſuſpicionem iuſtam eſſe, probabimus.

§. II.

Prima ratio eſt, quia nullum mendacium tam impudens, nulla calumnia tam atrox, nulla impoſtura tam deteſtabilis, nullum ſcelus tam exſecrandum ab humano ore nominari, vel fingi etiam poteſt; cui pares non ſint iſti *Loyolitae a*); quodque, dum ad ſolam eius mentionem, cogitationemve horrent, haerent, ſtupentque ceteri, ſine verecundia non tantum, ſed etiam gloriabundi *b*) audeant &

a) Loquimur hic, ut patet, collective de tota Societate, non de ſingulis individuis, quorum alia aliis forſan modeſtiora, ſi relinquantur ſibi ipſis. Ceterum, unus omnium, omnesque unius perſonam ſuſtinere & ſolent & tenentur. Neque de illorum meritis in Rem literariam nobis iam ſermo eſt.

b) Conf. ſi placet, *Lutetia Pariſ. Erud.* pag. 177. ſeq. Detecta A. 1605. Conſpiratione Anglicana, qua foedius nulla tellus vidit, nullaque aetas, cum in forum haberetur praecipuus in hoc parricidio Ieſuitarum miniſter, *Guido Faux*, in haec verba animoſus erupit: *Etiam hoc cum laude dicendum eſt: Fuit mihi is animus, quem ex tanto apparatu colligere poteſtis, Regem, Principem, Optimates una caede tollere volui. Sacrorum meorum amor & meriti gloria hunc animum immiſit, ut in adverſarios quacunque audacia ſaevirem.* Haec

& exequantur. Haec licet a nobis nimis dicta videri possint; levia tamen sunt, si cum aliorum testimoniis conferantur. Provoco ad universum orbem, ubi infelix, & generi humano fatale istud nomen innotuit: provoco ad ipsam ecclesiam Romano-Catholicam, cuius filii παμπόνηροι sunt, & profana soboles: ad integra Regna & Respublicas, quae hos incendiarios, hanc publicam luem & perniciem terris suis visceribusque eiicere coactae sunt *c*); ad monasteria denique, ad Academias, & doctissimorum virorum, licet eiusdem religionis, scripta & querelas. Prodeant exempli loco, & quidem illustris, omnes *Vniversitates Hispaniae*, quae ante centum hosce annos, h. e. tempore *Gustavi Magni* Regis, in libello ad Regem Catholicum misso, & typis publicae luci dato, inter alia plurima eiusdem generis epitheta, *Iesuitas* uno ore vocant, *homines fraudulentos*, *mendaces*, *veritatis inversores*, *infamatores virtutis*, *impostores pietatis velo opertos*, *lupos in vestimentis ovium*, *importunos & Regibus molestos*, *pacis publicae perturbatores*, *diabolicae industriae homines*, *cacodaemones*, &c. *d*) Hoc fulmine quid dirius? sed quid tamen aequius iustiusque?

ille ex Iesuitarum disciplina. Nec aliter LVCIANI *Tyrannicidae*. Ipse *Henr. Garnetus*, S. I. licet suspendio meritas poenas lueret, defensorem tamen invenit *Andr. Eudaemonem*, vel Cacodaemonem potius, eiusdem Sodalitii, quod Iesu nomen mentitur, membrum; immo remuneratorem ipsum Papam Rom. habuit Proditor, utpote inter Sanctos & Martyres religiose relatus, non tamen perpetuo cultus. Vid. BERN. GIRALDVS Patavinus in *Apologia pro Senatu Veneto*, & Io. Wolfg. IAEGER, *Hist. Eccl. & Pol.* Tom. I. p. 78. 81.

c) Dolente admodum Pontifice Rom. cui soli eiusmodi incendia & pestes bene olent. Hinc ALEXANDER VII. in Literis suis ad Remp. Venetam A. 1656. intercedens pro Iesuitis, ut in sinum, unde A. 1606. expulsi erant, reciperentur, inter alia, hoc argumento uti non erubuit: *Bonus Operum Iesuitarum odor longe se lateque diffuderat* &c.

d) Vid. *Brevis Relatio de turbis Salmaticensibus* annorum 1626. 1627. 1628. c. VII. & ALPHONS. DE VARGAS de *Stratag. Ies.* cap. IV. p. m. 30. & 315. Par erat de illis sententia *Academiae Parisiensis*

§. III.

Nam *Secundo* omnia iſta, quae dicta ſunt, moribus non tantum illorum reſpondent; ſed ut ita ſint, ac ut aliter eſſe non poſſint, leges eorum, doctrina & theologia poſtulant. Theologia illis nil aliud, quam ancilla ſtatus: doctrina corrupta prorſus & adultera: regulae iuris monſtroſae, impiae, horrendae, ex ſentinis Caſuiſtarum ſpurciſſimis ac venenatis emanantes. Accedunt laxa & cauteriata conſcientia, frons praefricta, effrenis impudentia, ingenia inquieta ac ferocia, ad verſutias & politiae ſtrophas non modo nata, ſed arte etiam erudita. Hinc aperta mendacia, calumnias, periuria, furta, veneficia, caedes, parricidia, & quae ſunt alia, vel ethnico homini abominanda, crimina pro criminibus non habent: ſed vitia virtutum titulo palliant, ſummam iniquitatem aequitatis colore artificioſe fucant, & ſacra omnia profanaque iura, blandiente occaſione, conculcant. Cauſſae vero moventes ſeu ſtimuli tantae perverſitatis, praeter Romanae ſedis conſervationem, ſunt quaeſtus & divitiarum inſana cupiditas, immanis ſuperbia, dominii dilatandi inſatiabilis libido, atque monarchiae veluti univerſalis ſibi inſtituendae ſtudium. Haec ſuprema lex aequitatis eſt: haec conſcientiarum norma: haec unica conatuum, moliminum, actionumque omnium cynoſura. Quis ergo amplius miretur, eos, qui avaritiae ambitionique *Ieſuiticae* velificantur, & vivos ſuper aethera, falſis praeconiis, volitare, & tandem poſt mortem, ut divorum pullos, coelitum, neſcio quorum, includi choris: adverſantes vero conviciis onerari, inſidiis peti, & ad ima ab iisdem tartara deprimi ac condemnari; ut odii, irae, furoriſque nulli ſint limites, nullus unquam finis *a*)?

§. IV.

A. 1611. Parlamenti etiam auctoritate approbata. Vid. DVPLEIX *Hiſtoire de France* ſous Louis XIII. pag. 22.

a) Conferantur Rudolph. HOSPINIANI, Lud. LVCII, & Eliae HASENMVLLERI *Hiſtoriae Ieſuiticae*, PASCAL, latens ſub nomine Lud. de Montalte, dans les *Lettres Provinciales*, Literis potiſſimum 7. 13. 14. ubi doctrina Ieſuitarum de homicidio, & lit. 15.

§. IV.

Tertio, ut propius ad rem ipsam perveniamus, *Iesuitas* funestissimi istius belli tubas fuisse, ac faces plus quam Troiani incendii, quo superiori seculo arsit & tantum non conflagravit universa Germania, cuivis constare arbitror. Edictum illud Caesaris FERDINANDI II. anno 1629. mense Martio, per omnes Imperii circulos promulgatum, de restituendis Episcopatibus, monasteriis, & bonis Ecclesiasticis, quae possidebant Protestantes, h. e. iis una cum fide Evangelica exstirpandis, inter primas certe & praecipuas erat caussas, cur arma contra Caesarem, ad se tuendos, arriperent Principes Germaniae, & cur in subsidium afflictorum Rex Sveciae festinaret. At hoc cruentum, quod diximus, Edictum, tot insequentium aerumnarum fomes & argumentum, ut publicaretur, Imperatori auctores motores-

16. de illorum calumniandi libertate. WENDROCK in *Notis* ad Lit. Provinciales. Alph. de VARGAS de *Stratagem. Iesuit.* Hier. Bapt. de la NVZA de *Prophetia Hildegardis* scriptum, insertum *Theatro Iesuitico*, apud *Wolfium* Tom. I. Memorab. ad A. 1180. conf. m. Tom. II. 1015. sequ. & *Seckendorf.* Hist. Luth. lib. 3. p. 330. Arnold. MONTANI *Verraederſche Moorden des Pausdoms*, Amstel. 1697. 12. *Mercure Iesuite*, Geneve 1631. 8. Louis de MONPERSAN, la *Politique des Iesuites*, Colon. 1692. Maxim. PHILON von Trier, in *Examine der Papisten und Iesuiten.* Pandulphi COLLENVTII *Hist. Neapolit.* Libr. IV. in Vita Frid. II. Doroth. ASCIANI seu Matth. Zimmermanni *Montes Piet. Rom.* pag. 270. sequ. Romani HAY *Aula Ecclesiast.* & *Hortus Crusianus.* Fr. ALBANI *Anatomia Papat.* CHEMNITII *Theologia Iesuit.* HEIDEGGERI *Hist. Papatus.* PVFENDORF de *Monarchia Pontif. Rom.* &c. Recentissimum exemplum praebet illa *Tragoedia Thorunensis*, auctoribus Iesuitis, inprimis *Laur. Marczewski*, instituta Ao. 1724. Vid. das *Erleuterte Preussen*, Part. XXIII, XXV. XXVI. Conferatur etiam *Epistola* CAR. IOACHIMI Episc. Monspessulani ad Regem Gall. de d. 29. Iun. 1728. dans le *Supplement aux Memoires Historiques* Mois d'Octob. eiusdem anni.

motoresque erant, ceu ipsi gloriabantur a), soli *Iesuitae;* sperantes fore, ut exactis Evangelicis, atque exclusis aliis omnibus Monachorum Ordinibus, opes istae sibi in praedam cederent, potentiaque sic cresceret, & dominii sui fines, haud aliter ac paulo ante in *Bohemiae* regno artibus eorum perversissimis factum b), per omnem Germaniam dilatarentur. Maior quidem

a) Vid. VARGAS loc. cit. pag. 128. & 188. conf. etiam GOTTFRID. *Invent. Sveciae* Part. II. pag. 221. IAEGER *Hist. E. & P.* Tom. I. pag. 451. 459. Ipsum Edictum vid. apud LVNGWITIVM in Part. 3. des *Lorber-Krantzes* cap. 9. ADLZREITER *Annal. Boic.* Part. 3. Lib. 14. p. 195. sq. & KHEVENHILLER. *Annal. Ferdin.* Tom. XI. pag. 438. seq.

b) Testis sit inter alios VENCESL. CLEMENS, *Bohemus* exul in Carmine dicto: *Libellus Supplex ad R. Gust. Adolph.* impresso A. 1627. Haec pauca excerpam:

Tartareae volucres, coelo lacrymabile nomen
A IESV-ITE procul Latii fera monstra BAALIS
Religionem habitu mentita, & coelibe vultu
Omnia conturbant, contactuque omnia foedant.
Hi sunt praecipui fontes & fabrica lethi,
Hi sunt artifices scelerum fraudisque Magistri:
Hi populos mactant viventes atque videntes:
Hi (referens horresco) sacratis Regibus audent
Intentare necem, iugulisque infigere cultros,
Non SOCII-IESV, sed monstra informia Averni.
Hi mundum ex imis evertere fundamentis
Conantur, nihil est tutum, nihil undique firmum;
Vndique ubique suos ungues, sua cornua figunt.
Vt taceam reliquas, testis mihi PATRIA, testis
Sufficiens, quae victa iacet, deforme cadaver
Orbi demonstrans. O immitissima corda!

Prolixius autem haec omnia describit idem Auctor Lib. V. *Gustavidos* pag. 98. & sequentibus, usque ad pag. 117. Libri VI. nonnullis etiam ex superiori carmine, eo translatis. Hinc aliter id legitur Lib. I. *Miscellaneorum* pag. 5. edit. Lugd. Bat. 1632. Videantur etiam caussae, cur A. 1618. ex regno *Bohemiae* proscripti sint Iesuitae, apud BENIGN. IVLIVM in *Comment. de Bello German.* Lib.

quidem pars, ſed non omnis, eos ſpes fefellit; ſiquidem Ferdinandus, aſtu eius & mendacio, qui ipſi a confeſſionibus erat, circumventus, Wallenſteinio, Fridlandiae Duci, & Comiti Tillio mox in mandatis dedit; ut in Ieſuitarum uſus, complura Benedictinorum & Ciſtertienſium coenobia occuparent. Pater ille patratus, titulo ſpecieque ſacroſanctus, ſed revera verſipellis, hoc eſt, eiusdem ſocietatis Ieſuiticae erat, & quidem illo tempore anteſignanus eius, & apud Caeſarem interpres, nomine *Lamermannus c*). Huius tanta protervitas fuit, & in malo contumacia; ut cum Dux Turſi ac Orator Regis Catholici, *Carolus Auria* enixe eum rogaret, ut Caeſarem ab Edicti ſui periculoſa executione, metu Regis Sveciae, Electorumque Saxonis & Brandenburgici, dehortaretur; vultu voceque pervicacibus reſpondere non vereretur: *Stabit, ſtabit Edictum Caeſaris; nec refert, ſi illius cauſſa non modo Auſtriae, ſed omnino omnium regnorum ac provinciarum ſuarum iacturam facere neceſſe habeat d*). Ille igitur Lamermannus, & reliqui Ieſuitae, homines iſti violenti ac ſanguinum, iſti viri Belial, ut fidei ſuae conſortibus audiunt, quorum labia ardeſcunt igne, & manus mala fodiunt, violentis ſuis conſiliis Caeſarem ac totam ligam Papiſticam in Proteſtantes innoxios omnium primi armabant, hor-

II. pag. 42. ſequ. ubi etiam eorum *Apologia* habetur, hoc ſuperſtructa fundamento: *Si feciſti, nega.* Diplomata vero Caeſaris *Ferdin. II.* pro eorum reſtitutione, & omnium Evangelicorum exſtirpatione, vide ap. CARAFAM. in *Comment. de Germ. S. Reſtaur.*

c) Sine dubio idem ille, qui ISOGAEO in *Karl. Segersk.* pag. 243. vocatur *Wilh. Lamormainus.* Hic enim munere quoque Confeſſionarii fungebatur, & virtutes Caeſaris ſuperſtitioſe deſcripſit poſt mortem eius. Habetur illud Elogium apud KHEVENHIL. loc. cit. Tom. XII. pag. 2381. usque ad finem Operis.

d) Conf. *Aſtrum inextinct.* Rom. HAII Ord. Bened. & ex eo Alph. de VARGAS loc. cit. cap. 22. 26. 38. Optime haec conveniunt cum iis, quae dixiſſe Caeſ. Ferdinandum II. refert Ieſuita Lamormannus. Qualis enim Magiſter, talis diſcipulus. Vid. loc. nuper cit. ex *Annal. Ferdin.* pag. 2383.

hortantes; ut igne eos, ferro & laqueo persequerentur *e*): hi mala omnia & calamitates Germaniae effodiebant: hi veri patriae suae latrones, proditores & incendiarii. Non autem sufficiebat excitasse incendium, nisi id alerent etiam, veluti flabris, artibus suis. Dicuntur quidem, milites hostes Protestantium, inter alia, docuisse artem, qua fierent indurati & invulnerabiles *f*): (Egregia doctrina! *Iesuitis* digna, qua *carnificis* Passavienlis fratres evadebant!) verum dubito tamen, an milites Caesariani, vel Neroniani potius, armis machinisque bellicis pugnaverint ferocius, quam istae Harpyae fraudibus, technis, mendaciis.

§. V.

Quarto igitur cum provolante, adversus Romanas aquilas, in Germaniam incomparabili Heroë ac Hercule, GVSTAVO ADOLPHO, aliasque super alias cumulante victorias, verteret fortuna Caesaris, & ruere cum ea spes suas *Iesuitae* cernerent; criminibus farcire crimina coeperunt, & *Regem*, quem nulla armorum vis avertere potuit, opprobriis, dolis insidiisque adoriri. Parum enim erat, audire Gustavum, consueto nobis titulo, ab ista gente, *haereticum:* vocabant etiam

e) Noti Iesuitarum versus, iam A. 1581. cusi, imperante RVDOLPHO II.

Qua ratione queat Germania salva manere,
Suscipe consilium, Lector amice, meum:
Vtere iure tuo, Caesar, servosque Lutheri
Ense, rota, ponto, funibus, igne neca.

Horum duos ultimos a Calvinianis etiam Heidelbergae *Casimiro*, titulo tantum mutato, propositos esse, ibi accepimus. At aliud *Ribaldi Jesuitae* carmen instructorium ad Carnificem haereticos mactantem, vide apud IAEGERVM loc. cit. Tom. II. Lib. V. cap. 8.

f) Vid. ISOGAEI *K. Seg.* pag. 832. Res non adeo incredibilis. *Cottonus* Iesuita & Confessionarius Henrici IV. de artibus vetitis suspectus fuit, & quaestiones ipsi diabolo in obsessa quadam puella proponendas, varias concepit. Vid. *Physiognomia Iesuitica*, Lugdun. 1610. THVANVS Lib. 132. & HOSPIN. loc. cit. fol. 209.

iam *Antichristum a*), dirisque eum imprecationibus publice devovebant; ut nostra etiam aetate gloriosissimo Regi CAROLO XII. factum fuit in Bavaria, Suevia, & alibi, ubi inter alia ita precabantur: *Defende nos, o Deus, ab hoste haereditario, Diabolo Suedo b*). Sed cum vota impiorum non exaudiret Deus, nec brutis eiusmodi fulminibus terreri videretur, ne moveri quidem, Gustaviana virtus; atrociorem vindictam meditantes, necem Regi, more suo, sanguisugae intentabant. An *Quintius de Ponte* (vulgo *von der Brücke*) Subcenturio ille Suecani exercitus, anno 1630. at proditor simul ac insidiator, cum sociis suis *c*) ex Iesuitarum schola prodierit, non quidem certo definire ausim: vero tamen videtur simile, tam quia religionis erat Pontificiae, quam praecipue ubi sicariorum & percussorum non modo in Gallia, Anglia, alibique terrarum, sed in hac etiam Suecia, historiam recogitamus. Nam *Petrus de Petrosa*, qui Patrem Gustavi, CAROLVM IX. confodere tentabat, verus Iesuitarum discipulus fuit. Vnde etiam Rex noster commotus, lege severe prohibuit, ne quis Svecorum scholas istas, vel speluncas potius latronum & Regicidarum, amplius frequentaret *d*). Verum ista non moramur. Adsunt

a) Conf. de eo PET. MOLINAEI *Epistola ad Balzacum*, & Silvester PETRA SANCTA in *Notis* ad Ep. Molinaei cap. 8. pag. 77.

b) Vid. Auctor *des Voyages*, qui habetur ECHARTVS Hannoveranus. IO. FAE'S *Anatom. Bull. Iub.* Innocentii XII. pag. 11. 12.

c) De maximo hoc discrimine, quod, singulari Dei clementia, Rex evasit, legantur GOTTFRID *Inv. Sv.* Part. II. pag. 245. CHEMNITZ loco infra citando. PVFFENDORF de *Reb. Svec.* pag. 36. SCHEFFER *Memorab.* c. 14. I. pag. 85. & 209. 8. Matth. LVNGVVITZ, *Iosua rediv.* cap. XL. p. 261. Sed in *Annalibus Ferd.* Tom. XI. p. 1326. bis vocatur Proditor ille *Gnietes*, sine dubio per errorem.

d) BAZIVS in *Hist. Eccl.* Lib. V. cap. 9. & 10. & notanda sunt verba, quae Rex noster in Comitiis Oerebrogens. A. 1617. mense Ianuar. protulit contra *Iesuitas* Regni Poloniae, vocans eos, inter alia, *ett diefwuls partie.* Vid. IO. WIDEKINDI *Hist. Gustavi Ad.* Lib. VII. pag. 370. Nec negat PIASECIVS in *Chronica* pag. 358. Inter Ἀποφθέγματα Regis refe-

sunt certiora machinationis Iesuiticae contra R. GVSTAVVM in Germania documenta. Audiamus GOTTFRIEDVM *e*): *Der Obriste Baudis bekam umb diese Zeit* (A. 1631. mense Iulio) *einen* Iesuiten *gefangen, der sich verkleidet gehabt, und nachdem solcher starck examiniret, bekannte er, dass er I. Kön. Mai. oder I. Churf. Durchl. zu Brandenburg umbs Leben zu bringen gemeynt gewesen, er hätte sich auch an etlichen Orten für einen Bayerischen Doctor ausgegeben. Es wären auch noch* drey Iesuiten *ausgereiset, so dergleichen zu thun fürhätten.* Post expugnationem Heidelbergae, paria refert, sed paulo obscurius, ANT. GARISSOLIVS *f*).

- - - - - - Peiore ruina
Impius Arctoas molitur perdere vires
Hostis, & infandos furiis excitus in ausus,
Destinat Elysiis Heroëm, & devovet umbris,
Et dextram cultrumque parat. Sicarius Aula
Deprensus media, securo carceris antro
Clauditur &c.

Testatur quoque in sua Historia Belli Sveco-Germanici *Bogil. Phil.*

rendum, quod Iesuitae cuidam Rigensi dixit: *Vestra paternitas audiat, & nihil respondeat.* Ex MSS. LILLIEFLYCHTI. Exemplum vero institutionis Iesuiticae praebent ipsi illi doctores e Gallia tunc exules in libro Neapoli excuso apud Tarqu. Longum A. 1604. ubi gloriantur, unum ex suis discipulis, adhuc paene infantem, dum a militibus in sublime tolleretur, & iuberetur, additis minis, Regi bene comprecari; intrepido animo respondisse, *malle se incendio absumi, aut per summos cruciatus vita spoliari, quam Regem ullum agnoscere, quem Summi Pontificis non probasset auctoritas.* Ex THVANO Lib. 137. IAEGER, Tom. I. p. 64. Immo, interemto in Gallia HENRICO IV. puer quidam vix annorum XII. capitis damnatus fuit, quod sequentem Regem *Ludovicum*, sibi fere coaetaneum, interfecturum se palam dixisset. Ibid. pag. 159. Et hi sunt *Scholarum Iesuiticarum* abominandi fructus.

e) In *Inventar. Sveciae*, Part. II. pag. 332.

f) In *Adolphide*, Lib. IX. v. 740. sequ.

Phil. a CHEMNITZ *g*), subornatum aliquando fuisse a *Jesuitis* nebulonem quendam monachum, qui sub exulis sacerdotis larva, Regem aut *cultro h*) confoderet, aut, si id minus daretur, ipsi

g) Parte I. Lib. 2. §. 12. pag. 71. De Commentariis T. Livii, veneni suspectis, vid. Pet. CRINITVS de *Honesta Discipl.* Lib. 18. cap. 9.

h) Vtile est, nosse haec hominum monstra, quare adponendum duxi, quo ritu parricidis scelestc ferrum offerri soleat; minime alienum a praesenti materia. Is, cui caedem Domini aut Principis sui suscipiendam Iesuitae, spe certissima aeternae gloriae, persuaserunt, infelix homo in Oratorium secreto introduci solet. Ibi *culter* linteolo involutus, & eburnea circumcirca characteribus variegata cistula, cum agno Dei inclusus, profertur. Quem, dum e vagina educitur, aquae benedictae guttis stillatim irrorant, & globulos corallinos consecratos manubrio appendunt, indulgentia facta, ut quot ictibus necandum Principem petiturus esset, totidem animas ex purgatorio educeret. Tum *cultrum* parricidae in manum praebent, ac hisce verbis commendant: *Electe fili Dei, accipe gladium Iephtae, gladium Samsonis, gladium Davidis, quo Goliatho caput praecidit, gladium Gideonis, gladium Iudithae, gladium Maccabaeorum, gladium Papae Iulii secundi, quo se a Principum manibus, plurimo civitatum sanguine fuso, liberavit. Vade, & esto prudenter animosus. Deus brachium tuum confortet.* Quo facto, omnes in genua procidunt, & primarius ex eis talem recitat exorcismum: *Adeste Cherubim, adeste Seraphim, vos Throni, vos Potestates, adeste vos Sancti Angeli, & replete beatum hoc vas perpetua gloria, & quotidie illi offerte coronam beatae Mariae Virginis, Sanctorum Patriarcharum & Martyrum*, &c. &c. Liber, quo hic processus continetur, excusus est Delphis apud Ioh. Andreae Bibliopolam. Conf. HOSPINIANVS, *Histor. Iesuit.* Lib. IV. fol. 225. a. Cum vero perpetratum est facinus, *donum Spiritus Sancti* id appellare non verentur, ibid. fol. 156. b. Hoc ferrum, hunc gladium *incantatum* haut iniuria dixeris, & fratrem *magicorum Ensium* Gustavi M. Ita SVETONIVS in Caligula cap. XXV. *Tres gladios in necem suam praeparatos, Marti ultori, addito ELOGIO, consecravit.* Optime vero huc quadrant verba CAR. SCRIBANII, *Iesuitae* quidem, sed, ut videtur, sanioris: „O barbarum efferumque ferrum, inferis non

ipsi *librum venenatum* porrigeret, aperiunti effluviis suis futurum lethalem. En percussores veneficos! ethnicis *i*) similiores, quam Christianis, immo illis deteriores *k*). Qui vero de sceleris veritate dubitat, is conferat, quaeso, quae de *gemmis* veneno infectis, & suasu Iesuitarum, R. IACOBO I. in Anglia porrigendis *l*), de *chirothecis, vestibus*, *sellis m*), &c. de *bostiis* denique & *calice, n*) eodem toxico & ab eiusdem generis hominibus,

„coelo cusum! Ignibus devovendum caput, quod primum ausum fuit armare manum, NB. magis etiam cum in viros Principes, exercitus Ductores, Reges, Imperatores, - - - Effera una manus parata mori quid non potest? Quid non exitus daemone furor? Liceat hic mihi,

Collecta vitia per tot aetates diu
In NOS redundant.

Vid. eius *Philosophus Christianus*, cap. VIII. pag. 285.

i) Retulit AVICENNA, *Puellam* a quodam Indiarum Rege venenis fuisse enutritam, & Alexandro missam, ut eius complexu ac afflatu interimeretur. Dubitant tamen de facti possibilitate NAVDAEVS, *Stud. milit.* Lib. 2. p. 790. & THOM. BROWN in *Operibus* suis Anglice editis, pag. 309. De *strophiolo* venenato Praefecti Turcici, vid. BARCLAI *Euphormio*, cap. IX.

k) Exemplum egregium *Fabricii*, Consulis & Senatus Romani, percussorem Regis Pyrrhi non modo non admittentium, sed literis quoque monentium hostem de imminenti periculo, vid. apud CICERON. *Officior.* Lib. 3. cap. 22. & A. GELLIVM Lib. 3. cap. 8. *Noct. Attic.* conf. m. GROTIVM de *Iure B. & P.* Lib. 3. cap. 4. §. 18. sequ.

l) THVAN. & ex eo IAEGER, l. c. Tom. I. p. 109.

m) De *chirothecis* venenatis vid. ZIMMERMAN. *Mont. Piet.* pag. 325. PASCH. *Nov. Invent.* cap. VI. §. 38. p. 486. auctoresque ibi citatos. IO. NICOLAI Disqu. de *Chirothecarum usu & abusu.* Quomodo *sellam* Reginae Angliae inunxerit Rich. Walpot Iesuita, ex doctrina Io. Marianae, vid. HOSPIN. loc. cit. fol. 217. b. & de *patinis*, *salinis*, *lebetibus* &c. fol. 210. b.

n) *Il n'etoit pas une petite question, si le sang de Iesus Christ peut être empoisonne*, Pierre du MOVLIN, *Nouveauté du Papisme* pag. 835. de Henrico Archiep. Eborac. De Victore cap. III. venenato calice necato, PLATINA in eius vita. De Henrico VII. Caesare cv-

minibus, si modo homines dicendi sunt, in aliorum perniciem imbutis, scripserunt Historici. Porro, de conspirationibus Herbipolitana & Spirensi videatur SPANHEMIVS o). Addam tantum partem literarum illustr. Dn. IOH. ADLER SALVII, post mortem Regis scriptarum A. 1632 p): *Fatalis*, inquit, *fuit mensis November magnis multisque Capitibus, Regi summo Regum, Regi Bohemiae (dicitur etiam Rex Hungariae mortuus, & Vladislaus veneno sublatus a matertera noverca, sed utrumque incerto rumore) Vice-Regi Daniae, Regi (Regis) Galliae; Duci Schombergio, Duci Momorancio* &c. *Vides dolos, astus, fraudes, technas* IESVITARVM! *Obstupescite cœli! Vnum mirum tibi dicam, quod commode velim loco debito insinues: Dicitur quidam Princeps, conscio non solum Electore Saxoniae, verum etiam Caesare, & quibusdam aliis magnis, interfecisse S. R. Mtem. Piaculum ne quidem gehenna piandum! Secundo, verba hic Hamburgi publice nuper dicta sunt, eadem consilia agitari adversus incomparabilem Heroëm Regni Cancellarium. O solutam diaboli licentiam! Eo aus dem weg geräumet, omnia sua sponte ruitura persvasissimum habent. Consule itaque, mone, svade, roga, ut tam in cibo & potu, quam visitatione & omni conversatione secure ac tuto agat. Diabolus omnibus furiis & Erynnibus compedes solvisse videtur, ut bestia adhuc Evangelio insultet. Sed usque quo Domine?* Vidimus itaque Loyolitarum ingenia, artes & insidias, quas REGI etiam nostro posuerunt, maximam licet partem, singulari Dei beneficio, evitatas, immo dissimulatas saepe, vel heroico prorsus animo condonatas; cum tamen tam improbos artifices dignis poenis plectere facile potuisset. Testes Regiae huius clementiae fuerunt Iesuitae *Erfordienses* q), *Moguntini* r), *Colonienses* s), & alii.

§. VI.

SPINIANVS & GOTTFR. *Histor. Chron.* P. VI. p. 605. WOLFII *Lect. mem.* Tom. I. p. 600. & 641.

o) Dans le *Soldat Suedois*, pag. 237. sequ.

p) Secretario *Grubb.* Hamburgi d. 10. Dec. ex Msc.

q) Conf. Esd. Henr. EDZARDI *Schwed. Kirch. Geschichte* p. 33.

r) *Arma Suethica* ad A. 1632. p. 27. CHEMNITZ loc. cit. P. I. p. 450. GOTTFR. *Invent. Svec.* in Append. Partis II. pag. 18. b.

s) CHEMN. Part. I. pag. 280. a.

§. VI.

Quinto, neque tamen post fata gratiosissimi Principis quiescere potuit Stygius *Societatis* huius *Ismaëliticae* furor. Tunc enim, ubi remisit pavor, laxatis simul repagulis, tota bilis erupit & impudentia. Tunc beluarum instar famelicarum & voracium, facto agmine, irruere quasi in Regium funus, grassari dentibus, debacchari: tunc conviciis, quae fingi & excogitari possunt, omnibus, atrocissimisque, hoc est, plumbeo, quod aiunt, gladio, mortuum iugulare, mortuique famam, solam adhuc superstitem, & illustriorem, quam ut eam ferre posset coeca nox inferni. Hinc extitit ille *Sarcasmus Iesuiticus*, in nomen *Augustissimi* GVSTAVI directus:

Gustasti imperium primis, Gustave, labellis.
Implerunt Gustum vulnera quinque tuum.

Cui a nostris responsum fuit, inter alia, hoc modo:

Post fatum barbam vellis, Loyola, Leoni,
Qui vivi haud unquam lumina ferre potis a).

Singula enumerare non vacat. Adscribendus tantum est incerti auctoris *Scazon in Canes illos, qui gloriosissimo Sveciae Regi mortuo insultant* b):

Canes

a) Vide IO. NARSSII *Funebria Gustaviana*. Occurrunt ibi sex Responsiones, quarum *prima* fuit illa superius adducta.

Resp. IV. sic habet:

Quina salutiferum dant potum vulnera Christi,
Hunc ego ut gustem, par Ego vulneribus.

Resp. V.

Mentitus Christi Franciscus vulnera quinque:
Quinque Ego pro Christo vulnera vera gero.

b) Habeo ex Msc. cui mutilum nomen subiunctum est *I. Bothv.* an vero sub hoc lateat IOH. BOTHVIDI Episcopus Lincopensis, est quod ignoro.

Canes furentes, Mauricique Loyolae
Propago dira, Patre filii digni,
O Christiani dedecus chori, summum
Opprobrium, convitium, atque Germanae
Humanitatis, omnis & pudoris expertes.
Turpes Hyenae, monstra, pessimae Harpyiae,
Orcina proles, mentiens sacrum nomen.
Audere vos sic anne maximum Regem,
Victoriae quem splendor, atque virtutis
Adoreae fecere compotem coeli,
Ridere? Quis Victoris ossa & in manes
Haec iura dat tenebrionibus Vobis?

&c. &c.

- - - *Eiusne vos Sacerdotes;*
Mactare quem superstitem nequivistis,
Nunc ore foedo mortuum lacessitum
Impune eatis? Abstinete sed dentes
Hoc Rege *vestros. Hercules is est alter,*
Rogoque vos involvet, & deos vestros.

§. VII.

Haec igitur omnia ac singula rite conferentibus nobis non potest non suboriri iusta suspicio, & sequens enasci conclusio: *Iesuitas esse auctores scelerati istius Gladii, qui nomen praefert* R. GVSTAVI ADOLPHI, sive ut eo *caederetur* adhuc *vivus;* nam adornari eiusmodi arma in necem Principum a Iesuitis, satis constat ex Lit. h. ad thesin superiorem quintam: sive, quod paulo mitius est, saltem ut eo *obscuraretur* gloria Triumphatoris iam *defuncti;* quasi hoc ipso, & non alio, contra hostes usus fuisset in proeliis. Prius ut vergebat in *exitium:* ita hoc conducere videbatur ad contrahendam maximo Regi *infamiam.* Vtraque certe sententia est probabilis. Si

M tamen

tamen poſterior, ob infra dicenda, magis arridet, & hic duo commoda, a parte architectorum fabulae, nobis conſideranda veniunt. Alterum enim marſupia ſeu aeraria Ieſuitarum auxit; alterum ſuperſtitionem totius eccleſiae Romano-Catholicae. *Prius* patet exemplo Epheſiorum *a*). Ponamus unum eiusmodi gladium venditum fuiſſe centum aureis; minus enim pretium pro Regio enſe, & quidem tam prodigioſo, vix poſtulari potuit, nec dari a Regibus Caeſaribusque. Creſcente iam gladiorum numero, ut ſupra demonſtratum eſt Cap. II. creſcere etiam lucrum, neceſſe fuit. *Poſterius* exinde colligitur: quia obſtupeſcente Pontificio orbe felicitatem Hyperborei Regis, ne totus in eius partes, & Religionis Evangelicae amorem, contemta ſua idolomania, raperetur; utile videbatur & neceſſarium, fluctuantibus animis, ac nutanti ſuperſtitioni fulcra ſupponere qualiacunque, & hac potiſſimum impoſtura, apud ſummos non minus quam infimos inventura fidem, perſvadere miſeris, miram illam armorum felicitatem nec bonitati cauſſae, nec Deo, nec verae pietati: ſed diabolo, & artibus magicis adſcribendam eſſe. Ne quid deſit huic coniecturae roboris, revocate in memoriam, LECTORES B. mendacia illa, quae de beato noſtro Patre LVTHERO, eius nativitate, magiſtro, vita & morte fabulati ſunt ſocietatis Ieſuiticae patres ac filii *b*); nec non quae de ipſius Sanctiſſimi noſtri Soſpitatoris IESV CHRISTI *Magia* blaſpheme finxerunt Iudaei *c*), pariter ac Gentiles *d*): tunc enim videbimus, tunc confitebimur, hoc recens

a) Actor. XIX, 25. ſeq. Ἄνδρες, ἐπίστασθε ὅτι ἐκ ταύτης τῆς ἐργασίας ἡ εὐπορία ἡμῶν ἐστι.

b) Omnes illas nugas, earumque auctores collegit BAILIVS in ſuo *Diction. Hiſt. Crit.* pag. 1933. & ſeq. Videantur etiam aureum SECKENDORFII opus de *Lutheraniſmo*, & IO. MVLLERI Hamb. *Lutherus Defenſus.*

c) Matth. XII, 24. Luc. XI, 15. Ioh. VIII, 48.

d) Vid. ARNOBIVS *contra Gentiles* Lib. I. pag. m. 24. ſeq. & *Notas* ELMENHORSTI pag. 32. 40. Idem defendere *Ieſuitas* quis crederet? At verba HOSPINIANI *Hiſt. Ieſ.* in Epilogo Lib. III. fol. 211. b. haec ſunt. *Eandem* (artem Magicam) *calluiſſe dicunt & Iohannem, immo CHRISTVM*

recens non fuiſſe, ſed antiquiſſimum ſtatus imperiique ſatanici arcanum.

§. VIII.

Videmus quidem iam terram; ſed nondum portum attigimus. Quippe promiſimus *a*), nec ſine cauſſa, nos aliqua dicturos eſſe de iis, qui rebus contra Regem Sveciae & Proteſtantes gerendis, Ferdinandi Caeſaris totiusque Ligae nomine, praeerant. Forte enim culpa, quam noſtris falſiſſime tribuerunt, illos ipſos redarguet. *Pappenheimius* itaque, *Tillius* & *Wallenſteinius*, famoſiſſimi illi, & ob virtutem bellicam tantopere ſuis laudati Duces, qua ratione ab impietatis, a ſuperſtitionis & magiae crimine abſolvi poſſint, ego nondum video. Si quid ipſis verae virtutis, ſi amor aliquis Dei aut hominum adhaeſiſſet; non utique tuliſſent, tam patienti animo, militum ſuorum vitia infinita non modo, ſed plus etiam, quam dici poteſt, enormia. Conſulantur iſtius aevi ſcriptores, & obduruiſſe animum imperatoribus iſtis credes, caligaſſe ad flagitia oculos, obſurduiſſe ad querelas aures, quibus coelum citius & terram, quam ſaxea illorum corda permoviſſent miſeri, non hoſtes dicam, ſed quos ipſi amicos & hoſpites ore agnoſcebant. Verum, ut alia mittam, artibus quoque diabolicis deditos fuiſſe Caeſareanos milites, iam antea audivimus *b*); moribus, ut videtur, ad Ducum ſuorum exempla compoſitis. *Pappenheimium* quod concernit, illum *ſcelerum omnium caput* nominari, deprehendimus *c*). De *Tillio*, & eius magia videatur, inter alios, ARNOLDVS *d*), pronior ceteroquin in laudes

 &

ipſum omnibus numeris abſolutiſſimum fuiſſe Magum, non dubitant. Vt egomet ab ipſis non ſemel audivi, & nominare poſſum a quibus.

a) Supra, cap. II. §. 4. lit. a. pag. 31.

b) Pag. 15. & cap. 3. §. 4. Add. MISANDER in *Deliciis Hiſt.* cap. XXV. p. 160. 169.

c) PAVLIN. *H. Arct.* pag. 394. Conf. m. GOTTFRIDI *Inv. Sv.* Part. II. pag. 382. ubi in margine: *Pappenheimiſcher Proceß zeigt an welches Geiſtes Kinder ſie ſeyen.*

d) *Kirchen- und Ketz. Hiſt.* Part. II. Lib. 17. cap. 1. §. 22. ex *Theatro Europ.* Tom. II. p. 346. & in genere: *Die berühmteſten*

& apologias, quam in vituperia. At de Friedlandiae potissimum, & aliquandiu Megapolitano Duce, *Alberto Wallenstein*, aliis & forsan rectius *Waldstein*, ab arce eiusdem nominis ita dicto *e*), pauca iuvabit adnotasse. Hic, ut erat ingenii ferocis ac inquieti: ita eiuratis patriis sacris, in Protestantes, quos defendere per sanguinis iura debuisset, saevire inimico ferro, omnibusque modis maluit: Hic erat, qui ob insignem fastum, avaritiam & crudelitatem, vulgo *Dictator imperii*, atque *odium ac nausea humani generis* vocitabatur *f*): Hic, qui blandientis aliquandiu fortunae lenociniis fascinatus, & triumphos ante victorias cantare solitus, gloriose iactabat, se brevi ostensurum, uter futurus esset orbis dominus, ipse an Rex Sveciae *g*): Hic erat, qui praetumida impiaque voce, ut olim Aiax *h*), minabatur, se urbem Stralsundiam expugnaturum esse, etiamsi catenis coelo esset alligata *i*); Sed mox in turpem coniectus fugam,

Generals-Personen waren rechte Sclaven des Satans. Idem volunt illa *Gottfriedi* loc. cit. pag. 348. de Pugna Lipsiensi: *Der Graf von Tilly selbsten ist in der Schlacht in grosser Gefahr gewesen: dann ein Schwedischer Reuter starck an ihn gesetzet, und als selbiger ihn* NB. *mit schiessen nicht verletzen können, hat er ihn mit der Pistol heftig auf den Kopf geschlagen*, &c. Conf. GEBHARDI *Oratio* de Gust. M. & *Misand.* loc. cit. p. 161. Et tamen VRBANVS. P. VIII. in Literis suis ad *Tillium* d. 26. Sept. 1626. scribere inter alia non dubitavit: *Caesarea castra non solum fortitudinis arcem, sed etiam Pietatis templum fieri dicuntur tam religiosi Ducis exemplo.* vid. Io. ADLZREIT. *Annal. Boic.* P. III. Lib. XI. pag. 158. Conf. m. cap. XVII. pag. 279. De *Spectro Tillii* adhuc viventis, Wittebergae viso A. 1631. den 20. Iunii, vid. ABELINVS in *Theatro Europ.* Tom. II. pag. 388. seq.

e) Vid. FRANCKENBERG im *Europ. Herold* Tom. I. pag 717.

f) IAEGER *Hist., E. & Pol.* Tom. I. p. 467.

g) Vid. *Histor. Relation* om Gust Adolphs expedition &c. tryckt i Stockh. 1699. p. 25.

h) Conf. BAYLE *Diction.* Tom. I. p. 120. b.

i) IAC. RVDBECK, Prof. Colleg. illust. Holmensis, in *Annalibus Sueo-Goth.* ad A. 1630. & LOCCEN. *Hist. Suec.* p. 556. Idem ex Pontificiis testatur KHEVENH. loc. cit. Tom. XI. pag. 197.

gam, ab imperio militari remotus, a summis ad ima delapsus, & coelo risum praebuit & terrae. Hic ipse, ubi, fracta coelitus immanis superbia in formidinem abiit, in superstitionem malignam, desperationem & insaniam, ad pristina iuventutis studia pseudo-mathematica, atque errantium stellarum domos, adspectus & praesagia, ceu iniquioris fortunae praesidia, rediit. Tandem, cum in eum belli summa ac moles, non tam iubente, quam supplicante Caesare, rursus devolveretur; excitis aliunde, ex Italia praesertim *k*), magnoque pretio conductis magis & astrologis, eorumque opera, veluti alter *Balak*, Svecos debellare constituit. Scilicet iam viro virtus & vires, iam ferro sua vis, iam consilia Duci deerant. Per astrologos autem illos & magos intelligo *Iohannes Baptistas Senes*, Genuenses, *Binnovios*, ceterosque mendaciorum magistros *l*), quorum cocco

arbi-

k) Vtpote quae foecundissima patria habetur Astrologorum, magorum, atheorum &c. & de Scholis, ubi Magia publice docebatur, conf. VOETIVS Part. III. *Dissert.* pag. 549. 569. 600. 606. BVDDEVS *Thes. de Atheis. & Sup.* pag. 111. BODINVS de *Mag.* Praef. p. 4. DEL RIO, *Disquis. Mag.* Lib. II. q. 1. pag. 53. a. WIERVS de *Praestig. daem.* pag. 156. 209. חרטמים *magi*, & חכמי ההולדות *genethliaci* synonyma sunt ABEN-ESRAE & KIMCHIO. Vide supra pag. 41. & memorabile exemplum *Cosmi Ruggerii* apud BAYLE, *Diction.* Tom. III.

l) Item, Genus hominum principibus infidum, & credentibus fallax, AGRIPPA de *Vanit. Scient.* pag. 60. Conf. BARCLAIVS in *Argenide* Lib. II. HORNBECK *Theol. Mor.* Lib. IX. c. 12. pag. 251. seq. Id quod noster BLOCK uti sina *Anmerkningar öfwer Spådomar* (etiam Germanice editis Stadae 1711. 8.) confirmat exemplis *Massardi*, *Nostradami*, *Stöfleri*, *Io. Regiomontani*, *Garici*, *Cardani*, *Bickerstafii*, *Paracelsi*, *Kotteri*, *Torquati* &c. Interdum quidem vera dicunt, sed non attenduntur, quam multa falsa dicant. conf. GASSENDVS in *Vita Peirescii* Lib. I. ab initio, & Tom. I. *Epicur.* p. 509. nec non elegantissima FAVORINI Dissertatio contra Chaldaeos & Genethliacos apud *Gellium* Lib. XIV. cap. I. praecipue circa finem. Quo autem compendio nugatoris cuiusdam vaticinia eluserit *Ioannes Galeaceus*, videatur ap. WIER. loc. cit. Lib. II. cap. 16. p. 214.

arbitrio, hoc eſt, hariolationibus ſuperſtitioſis, vaniſque calculis ac nugis, haud ſecus ac divinis effatis, motus ſuos & actiones, Romanas aves, omnemque Catholicorum rem militarem, ſtolida temeritate commiſit; ipſe Sacrorum omnium contemtor & atheus *m*).

§. IX.

In dictorum fidem, nonnulli nobis teſtes evocandi ſunt. Ita de *Wallenſteinio* ſcribit hiſtoricus Gallus, DE PRADE *a*): *Comme il ne faiſoit aucune action importante, qu'il ne ſceuſt ſi l'aſpect des planetes luy eſtoit contraire ou favorable, il commanda à Pironni Florentin ſon confident d'aller a Vienne pour attirer à ſon ſervice* Giovan Baptiſta Seny, Genois, *qui y enſeignoit l'Aſtrologie, & cet amy l'ayant amené à vingtcinq talers de gages par mois, il luy dit que cette leſine ne luy plaiſoit pas, & qu'il auroit honte d'avoir des Sçavants à ſi bon marché. Ainſi il donna à Seny quatre cens talers pour ſon voyage qui eſtoit de dix lieües, un caroſſe à ſix chevaux, & deux mille talers d'appointement par an, payez par avance.* Huic per omnia conſentit

m) Vtinam Romana tantum ſacra vere contemſiſſet, & rediiſſet ad meliora. Sed communis illi ſine dubio error fuit cum aliis pleriſque Rom. Catholicis, qui dum Religionis ſuae vanitatem perſpiciunt, ab uno extremo in alterum, a ſuperſtitione in Atheiſmum delabuntur. Vnum tamen in *Wallenſteinio* laudandum, quod Monachorum, & praecipue Ieſuitarum hoſtis fuit acerrimus. Saepius enim minabatur, ſe, modo res ipſi ſucceſſiſſent, hos omnes Imperio Germanico expulſurum eſſe. Burgdorffero dixit: *Gott ſchänd, weiß der Herr nicht, wie ich den Ieſuiten ſo feind bin? Ich wolte, daß der Teuffel ſie längſt geholet hätte, und ich will ſie alle aus dem Reich und zum Teuffel jagen.* KHEVENHILL. Tom. XII. p. 580.

a) Pag. 132. de l'*Hiſtoire de Guſtave Adolphe, & de Charles Guſtave*, à Paris A. 1693. Idem legitur de *Ludov. Sfortia* apud MORIN. *Aſtrol. Gall.* p. 772. b. & de aliis apud IONSTONVM in *Thaumatographia* pag. m. 38. PASCH. loc. cit. pag. 584. BVDDEVM loc. c. p. 747. ſequ.

tit GALEAC. GVALDVS Italus, tam in historia Gustavi II. *b*), quam in ipsius Wallensteinii vita *c*); addens, neminem ab eo aut facilius admissum, aut familiarius habitum fuisse Genuensi isto Astrologo. De Bibliotheca Hallensi legimus, eam a Wallensteinio direptam, & donatam fuisse mago suo, *seinem* SCHWARTZ-KVNSTLER, *Binnovio d*). Sequantur Poëtae. Antea nobis laudatus EVVRT. IOLLYVET *e*) plurima in hanc rem habet, quorum tantum capita hic adnotasse sufficiat, & inferius loca, ubi inveniantur.

Walstinus Patri, Nato, Populisque nefastus.

* * *

Ecce magus moestos Proceres, &c.

* * *

Ille Talismannus secreto numine muros, &c.

* * *

Arte Toletana (frons Lunae impleverat orbem)
Dux magus in speculis, &c.

* * *

Ad magicas artes (atrocia crimina dictu)
Daemonis infames famuli Luthsenis in agris,
&c. &c.

Apud

b) Italice scripta, pag. 76. 116. 220.

c) In Latinum sermonem translata a IOS. ARND, pag. 86. 96. 127. 134. conf. quoque *Annales Ferd.* Tom. XII. p. 1164.

d) Vid. *Neuer Bücher-Saal der gelehrten Welt*, IIX. Oefnung, pag. 616. in Notis. Idem, credo, ac ille *M. Ioël Pinnovius*, de quo SEBALDVS in *Nucleo Hist.* p. 437. & MISANDER in *Delic. Hist.* p. 289. sed errant, *Succos* ibi ponendo pro Caesareis.

e) In eleganti Libello: *Fulmen in Aquilam*, pagg. 112. 146. 199. 206.

Apud GARISSOLIVM *f*) Tisiphone, tota Furiarum infernalium caterva introducitur stipata, ita Wallensteinium alloquens:

Arma vide: haec nostris nuper fabricata sub antris
Eumenidum finxere manus, haec debita SVECO
Pernicies. Neu dextra suo frustretur ab ictu,
Haec duo tela paro. Non uno funere mergi
Virtus tanta potest. &c.

- - - - *Tu qui praesagia vatum*
Sollicitas, studioque colis, rebusque gerendis
Fatidicum assidua vexas indagine coelum;
Cerne inscripta vagis rerum momenta Planetis.
Hic legito, quid fata ferant, quid deinde futurum
Vestra acie, quid certa sequi Victoria malit:
Et quae mersa latent coecis eventa tenebris,
Quaere per astrivagas solers evolvere curas.

De veneficiis magicisque sacris, usitatis in Wallensteinii castris legatur etiam VENC. CLEMENS *a Lybeo Monte g*). En pium, en magnanimum Ducem! dignum certe, cui supremum belli sacri imperium committeretur, & qui inter Pontificiorum Heroas numeretur perpetuo. Quis enim diffiteatur, in *Wallensteinio* quasi renatos esse Saules *h*), & Manasses *i*), illos legum divinarum de fugiendis magis, auguribus, haruspicibus, & astrologis *k*), transgressores pessimos, ac sua impietate in omnem

f) Libro XI. *Adolphidos* pag. 344.

g) Lib. III. *Gustavidos*, pag. 52. seq. & Lib. IV. p. 69. MICH. CAPELLARIVS in sua *Christina Lustrata*, Lib. I. ne magiae operam dedisse viderentur soli Suecorum hostes, R. etiam Gustavum Ad. de belli eventu consuluisse sagam, impudenti finxit carmine. conf. *Acta Erudit. Lips.* A. 1701. pag. 90.

h) 1 Sam. XXVIII.

i) 2 Reg. XXI, 6.

k) Deut. XIIX, 10-14.

omnem posteritatem exsecrabiles? Et qui divina sprevit, conculcavit; quomodo is humana, quaeso, iura veneraretur? *Nemo Mathematicam* (ita Lex Caesarea *l*) *consulat, magi nihil moliantur. Sileat perpetuo divinandi curiositas. Etenim supplicium capitis feret, gladio ultore prostratus, qui inobediens fuerit.* Vt iam Conciliorum decreta taceamus, Patrum testimonia & auctoritatem, immo saniorum Gentilium monita atque exempla *m*).

§. X.

Sed quorsum haec omnia? Accipe, si placet, amice LECTOR. Suspicamur nos primam heic originem invenisse *Gladii magici*, toties commemorati. Scilicet in hanc sententiam primitus non modo inclinavit animus, sed non potest non in eandem etiam reverti; licet ad alia iam deflexisse forsan videri possit. Etenim est vero admodum simile, characteres illos magicos & Planetarum notas ab isto Astrologo-mago Italo, *Johanne Baptista Seny* profectos esse, gladiumque arte nefaria ita praepa-

l) De Maleficis & Mathematicis Lib. IX. tit. 18. *Nullus aruspex* sq. De voce autem seu titulo *Mathematicorum* veteribus inviso, consulantur STEPHANVS ad *Saxon. Gram.* pag. 41. seq. Io. Andr. FABRICIVS de *Mathesi Patribus primae Eccles. & aliis non suspecta* §. X. & sequ. SVICERVS *Thes. Eccl.* in Μαθηματικός. DV FRESNE in *Glossario.* VOSSIVS *Etymolog.* pag. 313. A Vitellio Caes. omnes *Mathematici* Italia expellebantur, teste SVETONIO in eius *vita*, cap. XIV. & alibi. Σοφοὶ περὶ τὰς ἀστέρας a Iustiniano Imp. infami spectaculo, camelis per urbem vecti & caesi, PROCOPIVS *Hist. Arcanae* Cap. XI. f. 36. Hoc fecit scientiae, alias nobilissimae, abusus.

m) Belle BAILIVS in *Diction.* Tom. 3. p. 2628. *On a de très bonnes loix civiles & canoniques contre ces gens là. Vn Professeur de Padouë* (Ioseph Maria MARAVIGLIA in Pseudomantia veterum & recentiorum explosa &c.) *les a recueillies exactement dans un ouvrage qu'il publia à Venise l'an 1662. mais on ne les execute pas.* Probat hoc exemplo *I. B. Morini.*

praeparatum *a*), & Regis Guſtavi Adolphi nomine inſignitum, manu ſua in proelio Lützenenſi geſtaſſe *Wallenſteinium.* Sperabat ſine dubio fore, ſeductus a Satana, a mago, & ſuapte perverſiſſima indole; ut hoc ferro munitus tanto felicius pugnaret, faciliusque victoriarum Svethicarum curſum ſiſteret, interemto hac ratione invictiſſimo Rege, quem ſolum ſe ſuperiorem agnovit, ſolumque tremuit. Nihil, inquam, hoc ipſo veriſimilius, nihilque obſtare videtur, quo minus coniecturae, ſatis, ut arbitror, probae & ferienti ſcopum, mente manuque ſubſcribamus. At abſolvuntur, inquis, hoc modo *Ieſuitae* a crimine, iam antea ipſis imputato? Neque hoc. Poteſt enim utraque ſententia conciliari, & melius conciliaretur fortaſſis, ſi certo conſtaret nobis, cuius ordinis vel conditionis fuiſſet Aſtrologus iſte Genuenſis. Proinde coniicimus, enſem iſtum magicum, accepta morte Regis Sveciae, ſuarumque viſa copiarum ſtrage, a *Wallenſteinio* in fugam iam effuſo, abiectum fuiſſe, ceu pondus nulli amplius futurum uſui. Hunc cum in campo relictum forte inveniſſent palantes milites, rei geſtae ignari, eiusque enſem fuiſſe rati, cuius nomen inſcriptum habuit, theſaurum vendiderunt. *Ieſuitae* autem, ut ſunt rerum omnium exploratores *b*), quae toga unquam ſagoque geruntur, hoc viſo telo exultantes, errorem avidis non modo exceperunt auribus: ſed, cum in defuncti Regis ignominiam manifeſte tenderet, fabulam inde integram contexuerunt, veritatis hiſtoricae ornatam ſpecie: quae ut latius feliciusque ſerperet, plures eiusmodi gladios liberali & artificioſa manu efformarunt *c*), non ſine ſuo ingenti foenore, & Principum Rom. Catho-

a) Quemadmodum Pontifices Rom. *gladios conſecratos* tradere ſolent Principibus, pugnaturis contra infideles. De tali *Enſe* Imper. Carolo V. oblato vid. IOVIUS *Hiſt. ſui temporis*, Lib. 34: & SCHARDIUS Rediv. Tom. II. p. 352.

b) Exempla vide, & temeritatis poenam, apud CHEMNITZ Part. II. pag. 255. a. & p. 355. a.

c) Sciunt nimirum *Ieſuitae* artem imprimendi characteres, quoscunque velint, armis ac gladiis, vid. KIRCHER. *Mund. Sub-*

Catholicorum inani gaudio. Quod si quis probabiliora adferre queat, lubentissime amplectemur. Interea temporis, ut hoc credamus, statuamusque, suadet ratio, & tantum non cogit rerum, temporum, & personarum fidelis collatio.

§. XI.

Accidit plerumque, ita res disponente omnium scelerum fraudumque vindice, Deo O. M. ut in foveam, quam aliis parant nefarii, ipsi incidant *a*), vel ut gladio, quem in alios strinxerant, ipsi ruant. SIGISMVNDVS Rex Poloniae anno cIↃ IↃxcviii. *gladium* carnifici tradidisse scribitur *b*), rotis, crucibus, aliisque suppliciorum notis signatum, quo in decollandis Svecis, eius imperium recusaturis, uteretur: at infelix ferrum, ubi cum classe inimica in Sveciam delatum fuit, captumque a nostris, in propria Regis tyranni viscera, cives & amicos saeviit. Hoc vere est, quod aiunt, *gladio iugulari suo*. Vereor ne idem contigerit *Wallensteinio*, cuius praecipue iussu & caussa fabricatum esse credimus *Ensem* istum magicum, sive in perniciem, sive in ignominiam Regis Sveciae. Dum enim ille in Lützenensibus campis adesse ruinam Svethicarum rerum, ex siderum positu, magorum ore, magicisque armis ominabatur, repente omni spe convulsa *c*), victoriam non tantum amisit; sed ipse etiam cum socio *Pappenheimio* una periisset, nisi pernicitate equi Turcici, quo vehebatur, se periculo & manibus Svecorum eripuisset *d*). Evasit ergo, sed maiori foedio-

terran. Part. II. pag. 221. b. & W illud in *Swecis* (vid. supr. p. 39.) ad orthographiam Pontificiorum pertinet. conf. e. g. Car. CARAFA *Comment. de Germ. S. restaurata*, mox ab initio.

a) Psalm. VII, 16.

b) In PALMSKIOELDianis *Antiquit. Sv. Goth.* MSS. Lit. B. ad vocem *Bödels-Swärd.*

c) Conf. Esa. XLIV, 25. Sap. XVII, 7. Idem accidit *Emanueli* Comneno, ut ex NICETA Choniate refert Naud. loc. cit. pag. 843.

d) Notentur quoque verba

foediorique servandus supplicio. Quippe an. cIↄIↄcxxxiv. die 25. Febr. *e*) inter tenebras Egriani carceris (sic enim appellare locum liceat, ubi obnoxiam carnificis arbitrio duxit animam) ut perfidus & perduellis *f*) frustra salutem in praecipitio quaerens, frustra implorans amicorum opem, qui puncto temporis in totidem fere hostes convertebantur, bipenni per alvum traiectus, tetrica ingloriaque morte, profanam cum sanguine animam ebulliit. Hunc exitum habuit vir ille, quem nec lex nec pudor coercuit, qui virtutem in fastu posuit, in crudelitate, in superstitione, in contemtu Dei hominumque. Haec magiae stipendia, haec esse solet eorum omnium merces, qui artibus prodigiosis potius confidunt, quam Domino *g*). O WALLENSTEINI, iam *venit super te malum, quod non sciebas deprecari; cecidit super te calamitas, quam non potuisti expiare; venit super te subito devastatio, quam nesciebas. Persta nunc in incantationibus tuis, & in multitudine* observationum Pseudastrologicarum, *in quibus laborasti a iuventute tua: Forte poteris prodesse, forte terribilis fies. Sed defatigatus es multitudine consilii tui.* STENT *nunc & servent te* OBSER-

Mich. Le VASSOR, *Histoire de Louis XIII.* Tom. VII. Lib. 32. p. 364. *On dit que la bride de son cheval lui étant tombée des mains, il se laissa emporter fort loin. Avanture peu digne d'un si grand Capitaine.*

e) Vid. GVALDVS in *Vita* Wallensteinii, & *Continuatio exitus Generalissimi Wallensteinii*, impressa Anno

Da VVaLensteIn MIt seInen BLVt
SeIn Tyranney nVn bVssen tbVt.

Iconem totius Tragoediae vid. in *Annal. Ferd.* Tom. XII. p. 1160.

f) Verba *Wallensteini* fastuosissima vid. ap. CHEMNITZ Part. II. p. 135. sequ. & evolvatur Index. Cur vero Coronam *Bohemiae* affectaret, in aliis caussa fuisse videtur Astrologi eius infelix vaticinium. Conf. IAEGER loc. cit. Tom. I. p. 514. 537. sequ. & fatentur id ADLZREITER loc. cit. L. 3. c. 19. p. 322. KHEVENHILL. Tom. XII. p. 591.

g) 1. Chron. XI. 13. 14.

OBSERVATORES COELORVM, *Spectantes stellas, divinantes in menses; ab illis, quae venient super te. Ecce facti sunt sicut stipula, quam ignis adussit*, &c. *b*).

§. XII.

MAGNVS *autem* GVSTAVVS ADOLPHVS, qui in Deo & aequitate rerum plus quam in armis spei semper reposuit, qui fata in occulto esset sivit, rerumque ac temporum Domino futura commisit, consilio prudens, proelioque fortis, ante signa obequitans, militans, cadens, non aetatis metiendus spatio, sed gloriae, victoriam suis, tristem quidem tam claro funere, at egregiam & in omne aevum futuram memorabilem reliquit. Obiit, non ut ille inter muliebres eiulatus, inter clandestinos ignobilesque ictus; sed gloriose, inter medios hostium cuneos micantesque gladios, inter tympanorum strepitus ac murmura, inter clangores tubarum, sclopororum fulmina, tonitrua ferventis Martis, sulphureasque nubes, in aperta acie, in libero campo, in ipso fortitudinis theatro; subvecta in coelos pleno triumpho invicta anima. Obiit ut Christianus, ut Heros, ut Triumphator: obiit ut Martyr *a*), corona etiam gloriae post mortem immarcessibili decoratus.

Fortia facta Ducum taceat modo Roma *suorum,*
Ipsa suos sileat Graecia *vana viros,*
Pellaeum Emathius iam desinat, Heroa Teucer
Laudibus in coelum tollere quisque suis.
Maior ADOLPHVS adest; fallor, fuit hactenus: at nunc
Hectore, Alexandro, Caesare maior abest.

N 3 *Heu!*

b) Ex IESAIA, cap. XLVII, 11. & sequ. ad versionem SEB. SCHMIDII.

a) De hoc meritissimo titulo conf. IO. RVDBECKIVS Episc. Arosi. in *Concione funebri* pag. 9. a fine seq. HENR. GIESEBERTVS in *Elogiis*, & OL. LAVRELIVS in *Vindiciis* pro Heroico Martyrio R. Gustavi Adolphi.

Heu! belli fulmen cecidit quoque fulmine belli,
Totaque cùm tanto gloria Martis obit.
Bellica tota tuo tumulatur funere virtus,
Accidit & Marti, te moriente, mori b).

EXPLICIT.

b) CAR. DAVEZ Altissiod. in *Invictissimi Herois ac Monarchae GUSTAVI ADOLPHI memoriae sacro & posteritati nuncupato* Επικηδίῳ, *ante Garissolii Adolphida.*

